

Sammelbd 4

VII. N. 848.





4

ANALECTA
ex Discursibus Academicis
NIC. CHRISTOPHORI
LYNCKERI,
^{AD}
D. GABRIELIS SCHWEDERI
Introductionem in
JUS PUBLICUM
IMP. ROM. GERM.
novissimum:



J E N Æ,
Sumptibus JO. BIELCKII. cl^o l^o LXXXIX.

ANNALECTA

ex Disputationibus Academicis

NIC. CHRISTOPHORI
LYNCKERI

AD

D. GABRIELIS SCHEWEDERI

Introductionem in

JUS PUBLI-
CUM

IMP. ROM. GERM.

novissimum:



Sumptibus JO. BIERCKII. MDCC LXXXIX
J E N A E





A D

P R Æ F A T.



NON MINUS JURIS PUBL. QVAM PRIVATI.) Nec enim hæc differunt *specie* aut *formaliter*, sed *objecto & fine*. Neque etiam juris privati notitia absolvi potest, semotò jure publicò, & vicissim; cum primis quòd *juris publici* non omnia sint *eximiè* talia; sed plurima privati juris, (quæ videl. in Personas, Res aut Actiones publicas competere possunt,) hoc ipsò publica fieri necesse sit: veluti in juribus Tutelarum, Matrimoniorum, Successionum, Judiciorum, per omnes partes & species, satis adparet.

POSITIONEM.) Imperator nomine Juris Publici non ibi Jurisprudentiam seu habitum accipit, sed *Systema*, quod ex præceptis ejus, quod publicè justum est, constat.

AULAS UNICE.) Idem dices de *Collegiis*, quæ extra aulam habentur, sive Judiciorum sive Facultatum, Scabinatum & similibus, in quibus quotidie disceptanda & judicanda veniunt, quæ publici juris sunt.

VETERIS ROMANÆ.) Quamvis confundi non debeant ea quæ veteris Reipubl. sunt, cum eadem prout ad Germanos transit: Tamen eò ipsò, quò Imperii Romani reliquæ Imperio Germanico innexæ reperiuntur, oportet omninò illa, quæ ultra Carolum M. in Imperio Romano veteri constituta sunt, etiamnum attendi, quousque immutatio eorundem doceri nequit.

A

AD

PART. GENER. SCHVEDER.
 AD
 PART. GENERAL:
 CAP. I.

§. I.

MATERIALITER.) Imò & hæc acceptio *formalis* est. Nimirum *Systema* ipsum continet, tanquam materiam sive objectum, *Leges & jura* in eo disposita, quamvis etiam *non scripta* fuerint. Acceptio verò *habitualis* rationem effectûs habet, qui ex *Systemate* nascitur. Proinde acceptio *Systematica* cum *habituali* confundi non debet. Sic verò habendum est: Jus sumitur vel *causaliter* vel *effectivè*. *Causaliter*, tum *systematicè* tum *habitualiter*. *Ibi* vel denotat *formam* *Systematis* seu comprehensionem præceptorum juris, vel *objectum* seu jura in *Systemate* contenta. *Effectivè* notat facultatem moralem, quæ ex jure, seu illo quod justum est, enascitur. *Habitualiter* sumptum *Jurisprudentiam* innuit. Equidem *Prudentia publica* respicit actiones civium vel sub ratione *utilis* vel sub ratione *æqui*. *Utilis*, tum in *Republ. constituenda*: estque *Prudentia*, quam architectonicam sive *Legislatoriam* dicimus; tum in *administranda*, & est *Prudentia consultativa*. Sub ratione *æqui* respicit actiones illas *prudentiæ publicæ* species, quam *judiciariam* appellant: estque *Jurisprudentia*. Priores duæ species, aut potius unius speciei partes, absolvunt *Politicam*. *Judiciaria* autem ab istis non differt amplitudine objecti, sed ratione tantùm formali. Cæterum quando *Jus* dicitur esse *ars æqui & boni*, tunc non nisi *systematicè* venit. Est verò *æquum* etiam id quod *bonum* seu utile est, negativè saltem, quòd *iniquum* seu contra jus naturæ non sit.

ACTIONIBUS MORALIBUS.) *Publicæ prudentiæ species* *Judiciaria* (non omnis *prudentia civilis*, ut *in fin. §. 2. b.*) describitur, quæ non modò pro objecto actiones *morales*, verùm etiam
 civi-

CAP. I.

civiles habet. (nisi quòd harum appellationum una alteram sæpè contineat.) Ceterùm terminus *concreti* minùs rectè hic adhibetur. (vid. §. 3. pr. b.)

§. 2.

IN NUDA COGNITIONE.) Et quæcunque cognitionis in eo sunt: quoniam universa ad praxin diriguntur, ideò & ipsa ex fine practica sunt: Nec propterea Notitiam juris publici partim ex *scientia*, partim ex *prudencia* constare, asseri potest.

UT HISTORICE SALTIM SCIAMVS.) Alia etiam est notitia *civis cujuscumque* in Republica: alia est notitia seu *peritia Jcti*, quæ plenissima & sublimis est, prudentia videlicet circa jus conditum & condendum.

§. 3.

ABSTRACTE CONSIDERAT: GENERALITER DOCET.) Quid verò discriminis hòc pacto erit inter Jus Publicum universale & Politicam? Utrique nullum aliud, nisi quòd hæc cujusvis Reipubl. rationem habeat sub respectu *utilis*; illud sub respectu *æqui*. Idem respectus discernit Politicam *individualem* Romanam, à Jurisprudencia publ. Romana.

MAGIS EFFORMAT.) Hic (non minùs ac *in fin. §. 1. ut §. 13. 15. & c.*) subtrahitur Jcto munus Rempubl. constituendi, in quo tamen & ipse primò concurret, ne leges condendæ honesto & *æquo* adversentur, adeoque utilitatem spuriam, indeque noxiam, præferant.

CIRCA LL. CONDENDAS.) Circa quas tamen *Jctum* quoque occupari jam tum notatum est.

JUS PUBL.) At verò hic non loquimur de jure, quatenus sumitur pro *lege* seu præcepto Legislatoris, sed de Jurisprudencia, cui vim coactivam tribuere incongruum est.

§. 4.

DIRECTO ET PRINCIPALITER.) Oportet hoc, quod publici Juris esse dicitur, simul *objectum* habere & *finem* publicum;

utrumque immediatè, directò & principaliter. Hinc non sunt juris publ. directò Tutela, Dos, Ædificia civium. Quæ verò *efficienter* Juris publ. esse dicuntur, ea huc non pertinent, ut testamenti factio. *l. 3. qui test. fac. poss.* Dicuntur talia, quòd non possint requisita illorum factò vel ausu privatò immutari.

§. 5.

RATIONEM STATUS) Pertinet hæc ad Juris Publici adminicula; Nimirum est *pars Politices* secretior, (*habitualmente enim* sumitur *b. l.* non objectivè; nec etiam pro regulâ seu cynosurâ;) quæ eas ostendit causas, quibus illa, quæ ab utilitate singulorum, seu civium seu exterorum, abscedunt, Reipubl. conservandæ velemendandæ media, hoc est, consilia & actiones, per absconditas utilitatis communis, à jure tamen universali non abluentes respectus, à turpitudine liberamus. Differt proinde à *flagitiis dominationis*, ab *arcanis*, itemq; à *Juribus Imperii*: quam à *civilibus* quibusve juribus, & vel ab ipsis *fundamentalibus*, saltim interpretativè, abscedere possit.

§. 6.

UT PARS ET TOTUM.) Imò *historica & politica* cognitio non faciunt partem sublimis illius Jurisprudentiæ publicæ, quippe quæ suò objectò formali, suisque principiis propriis, constat; Historia verò & Politica tantum ipsi ut adminicula extrinsecus assumpta, subserviunt: multòque minùs dici potest, quòd Jus publicum partem faciat illius *Notitiæ Reipublicæ*, (tanquam distinctæ *disciplinæ*,) quam Politici nuper ostentarunt.

§. II.

JUSTITIA ET QUIDEM UNIVERSALIS.) Quidni omnis justitia, quæ *particularem* quoque complectatur: quippe quòd una & omnis sit finis Jurisprudentiæ in universum: & distinctio in justitiam *universalem & particularem* doctrinæ tantum causâ recepta fuerit. Sanè cum inter alia pertineant, tanquam objectum proprium, ad *distributivam* justitiam, (quæ pars est justitiæ

tiæ

tiæ particularis,) beneficia & onera civium quâ talium, quæ maxima portio est juris publici:quin & ex justitiâ commutativâ, quæ de dominiis rerum & obligationibus ad personas & res publicas applicari possunt, desumenda sint: (ut ne de actionibus & processibus dicamus, quibus actiones persequimur, publicorum jurium asserendorum & tuendorum gratiâ.) Hinc omninò evidens est, justitiam unam, quæ nec in species, sed solùm in facultates, (quâ universalis aut particularis dicitur,) distingui solet, finem adæquatum juris nostri publici constituere.

STATUM) *Status* verò, in definitione juris publici, non denotat *formam* Reipublicæ, ex modo habendi Majestatem, verùm *totam habitudinem* ejus, quâ ad perfectionem sibi debitam tendit.

§. 12.

AD LEGES FUNDAMENTALES.) At verò non omnes partes Juris publici Legum fundamentalium locum habent; sed tantum illæ, quæ Rempubl. concernunt ex parte *Imperantis*, & quoad modum exercendi majestatem, Hinc in §. 14. aliquæ Leges dicuntur fundamentales, vel *inadequatè*, quòd parte sui aliquâ eò pertineant, vel etiam *effectivè*, quòd cum illis parem vigorem, vel authoritatem, consecutæ sint.

§. 14.

PRINCIPIA.) (1.) Quæ dicuntur hîc *Principia communia*, illa non sunt principia, sed *adminicula* extrinsecùs assumpta, quæ sunt cum primis *Historia* in suis partibus, & *Politica*, ut ne de aliis dicamus. Quæ verò *propria* dicuntur, non omni ex parte talia sunt: quoniam ea privati quoque juris multa constituunt; ut vel ex Recessibus Imperii patet. (2.) *Jus feudale*, nec non *jus privatum*, (quod tamen vulgariter hîc accipitur, pro jure *Justinianeo*, cum quidem *Corpus* illud *civile* plurima publica contineat:) ut & *Canonicum*, ad principia juris Publici, & magnam quidem partem ad *propiora* pertinent, nec parificari debent *adminiculis*. (3.) Non tantùm principia juris publici cõficiunt illa jura, quæ hîc

designantur, sed & scripta jura alia; quoniam & *jus non scriptum* ed
referri debet.

§. 15.

LEGES IN GENERE.) Considerant quoque illas *in specie*,
sed *ratione* diversâ à Jcto, earumque *prudentiam* habent.

LEGES INTERPRETARI.) nec tantum interpretari, verum
etiam Legibus novis *condendis* adesse; imò *consiliis* super Repu-
blica, quatenus illa juris respectui subesse possunt, aut ad ratio-
nem juris conformantur.

CAPUT II.

§. 1.

PLENIUS CONSIDERATURI.) Jura *vetera* Rom. Germanica pu-
blica, quorum magnam partem præ aliis collegit *Goldastus*,
quatenus huc pertineant, expositum est ad Notit. Imperii Bœ-
clerianam.

§. 2.

CONSVETUDINUM CONFIRMATORIÆ.) Nec tamen omnes
consuetudines, quæ inibi adducuntur, pro agnitis confirmatisve
protinus habendæ sunt. Videlicet hîc quoque inter narrationem
& dispositionem distingui debet. Non etiam sufficiens est h. l.
partium enumeratio, nam & *jura* aliquibus *quesita* Carolus IV.
sustulit. &c.

§. 6.

IN LINGUAM GERM. NULLA TAMEN AUCTOR. PUBLICA.)
Frustrâ igitur *Freinshemius* Germanicæ versioni insistit pro He-
ro suo, *Palatino*, sub nomine *Gratiani Philœci*.

§. 8.

CONSENTIENTIB. ELECTOR. ET ORD. IMP.) Dicendum
est, A. Bullam, ne quidem quoad *jura Electoralia* mutari posse,
nisi accedente omnium Statuum consensu. *vid. Hagen. l. 2. inst.*
J. P. cap. 1. p. 172. Utique non potest dici hactenus *verè* mutata
esse,

esse, ut videre est in *not. seqq.* (nisi in unico capite incorporationis vacantium:) licet dissentiat *Auctor* cum *Limn. l. 1. c. 11. n. 103.*

IN ORDINE SUFFRAGANDI.) Et tamen Bavarus Palatini locum sustinet.

JURE CORONATIONIS.) At verò A. Bulla non disponit, si coronatio alibi quàm Aquisgrani & extrà Diœcesin Coloniensem peragenda sit, quòd tunc ea ad *Moguntinum* pertinere debeat.

PROTESTANTES) Hæc non est immutatio legislationis, sed est subductio subjecti ex postfacto, immutatâ religione: cum postmodum Missæ reverentiam, ob libertatem religionis, Protestantes exhibere non teneantur.

OCTAVI ELECTORATÛS INSTITUTIONE.) Et tamen sancitum est in *Instrum. Pac.* alterâ lineâ extinctâ numerum Electorum ad septenarium denuò redigendum esse.

§. 9

MEDIANTE SACRAMENTÒ.) Cui oportet religionem patrum committi, cum *judicem* in exercenda majestate non ferat Cæsar.

§. 10.

LEX GERMANORUM REGIA.) Videtur utique Majestas deferri per populum Romano-Germanicum, vel potiùs Germanos, (ad quos hæc prærogativa unicè pertinet,) Cæsari, per *representationem* in Electoribus, simili modò atque in Republ. primâ Romanâ cum Lege Regiâ: quam non minùs repetitam inter Cæsares, ac subinde interpolatam esse constat. Nec officit assimilationi, quòd modus exercendæ majestatis nunc quidem arctior sit.

§. 11.

PACTUM PRÆCEDAT OPORTET.) Capitulatio non est *conventio*, (ut *b. & §. 13.*) ne modum prore substituas: ceu nec conventionis effectum modus ipse per omnia inducit, si objectum ipsique paciscentes singulare quid præferant. Non etiam

Lex

Lex est Capitulatio, nec eandem redolet ratione Cæsaris, quamvis effectum legi similem sortiatur. Normam tamen, quæ modum Regiminis describat, utique constituit.

§. 12.

LAMPAD.) *Lampadii doctrina hæc est, quòd pars tantum majestatis Cæsari deferatur, quæ videl. in jure reddendo consistit; non etiam altera, quæ in jure constituendo. Super hac itaque non iniri conventionem; priorem verò deferri Imperatori simpliciter: quanquam hæc Lampadii doctrina reproba sit. Licet autem Capitulatio de his agat, quæ civitatis seu civilia sunt, tamen ipsa vim suam sortitur ex jure ultrà civitatem, sive gentium sive naturali: Indeque Cæsar ex promissione, & quidem juratâ, internò sc. vinculo, civibus tenetur, quippe quòd in eum nec bellum nec judicium propriè valeant.*

§. 14.

AD CAROLI V. TEMPORA.) *Utique Capitulationum origo prima debetur Carolo Quinto, si modum hodiernum seu formam extensam, (quod fieri debet,) respicias. Neque enim hic de promissione qualicunque, sub auspiciis Cæsarei Regiminis, quæritur.*

§. 17.

ANTE IMPERII COMMISSIONEM.) *At verò electus jus in re habet ante Capitulationem, contra quàm Limneus, cum pura ex more majorum sit Electio. Unde potestatis exercitium solum, aus frenem gnädigem Willen / modificatur, indeque est das capituliren. Protinus à primo momento viva est majestas. Et Ferdinandus I. anno 1531. electus, absque Capitulatione, usque ad annum 1558. regnum exercuit. Obloquitur etiam Auctori principium Capitulationis, ubi, priusquam capita spondeat Rex, electum se esse dicit & evedtum zur Ehre / Macht und Gewalt des Römischen Kayserthums.*

PER IPSAM CAPITULATIONEM.) *Imò etiam confirmatio-
nes*

nes expeti solent *separatim* & indulgeri, & quæ fit per Capitulationem, ea vi collatæ jam Majestatis suscipitur.

§ 17.

IN TOTUM SOLUTUM NON ESSE.) Quin potius in Capitulatione hoc vel maximè agitur, ut ea quæ ordinariæ potestatis sunt, modificentur: nec tamen *extraordinariam* potestatem, quam absolutam vocant, Capitulatio infringit. Ipsam quoque Capitulationem *vera necessitas* & *subita* moderatur. *contra Limn. Sect. 8. proæm. Cap. n. 40. seq. add. §. fin. b.*

§. 19.

CONSILIUM ET ASSENSUM EXPETAT.) Cùm itaque in præcipuis negotiis Electores tantùm adhibeantur; imò in his etiam oporteat adhiberi Statûs omnes reliquos, si talia durantibus Comitibus oboriantur: Hinc adparet, aut consensum illum Statuum non oportere esse majestaticum, aut plus trahere Electores ex majestate quàm reliquos: id quod nequaquam hi admiserint. Sequetur etiam, Electores extra Comitibus majestatis quid participare præ reliquis, intrâ Comitibus non item.

LAMPAD.) Imò *Lampadius* negat Capitulationem derogare majestati Cæsaris, quoniam Ipsi potestas Juris reddendi in solidum conferatur, potestas v. juris constituendi per Capitulationem illi non tribuatur, nisi sub modo: Itaque ei etiam, quod non tributum est, derogatum censeretur non posse. At verò dicendum est, cùm majestas per Electionem Cæsari collati sit, deinceps per Capitulationem eam non imminui, sed modum exercendæ *Potestatis* determinari, & *Officium* Imperatorium describi. Quò pertinet vox *Sollen* cùm ipse hujus reminiscitur Cæsar. Neque enim necessitati justitiæ cum independentiâ ulla pugna est.

IN CONSORTIUM EJUS) Consortium hoc est tantùm quoad *modum exercendi*, ne quidem quoad *exercitium* ipsum. Non etiam agnoscimus *majestatem realem*, nisi in sensu saniori, ut non sit penes Statûs, sed in *Republicâ*, quam tenet Cæsar: (quatenus

scilicet Imperium nostrum est majesticum.) Hoc tantum asseri potest, Statûs esse *Subjectum commune* majestatis Romano-Germanicæ, ut Cæsar est *subjectum proprium*.

REGALIA ET JURA MAJEST.) Nunc quidem postquam Statûs Imperii in suis territoriis Ipsimet propriò jure seu patrimoniali, concessivò tamen & dependenti, jura illa tenent, quæ antehac Cæsares ibidem habebant vi majestatis: dicuntur etiamnum ex antiqua illa observantiâ *Regalia* seu regia: adeoque non possunt esse *Synonymum jurium majestatis*; quin potius in *Imperatore* dicimus, quòd is jura majestatis habeat. (quæ malè dicuntur esse communicata Statibus in territoriis suis, nisi tantum improprie.) Statûs autem dicimus habere jura *Superioritatis* in suis territoriis. Si quid verò habeant similium jurium in territorio *alieno* seu vicino, adpellamus *regalia*: Quòd si quis jura talia teneat, qui dignitate regali destitutus est, solemus adpellare jura simpliciter, *Berechtigkeiten* / seu privilegia.

SUMMAM DIGNITATEM.) Imò etiam quæ potestatem notat, & jurant Cæsari Statûs utique *Imperii* nomine, cujus jura sc, tenet Cæsar, nec solùm ut *Vasalli*, sed ut *subditi*.

§. 20.

OB CONTRAVENTIONEM DEPONI.) Virtus *commissi*, quo Cæsar Capitulationem negligens Imperio excidat, Regum majestati repugnat: neque Capitulationi & ne tacitè quidem inest, ut *Limneus S. 10. Proleg. ad Capitul.* cum *Reinkingio* opinatur. Actus verò contra Capitulationem gestus *nullus* est. Non quòd à principio impotenti procedat, sed quòd moraliter agens, vi antecedentis voluntatis, actui à se processuro nullitatem inducere possit.

CAPUT

CAP. III.

§. 1.

CONSENSU) Hæc est tantum conditio sine qua non. Causam efficientem penitus omittit Autor, quam Cæsar conficit.

§. 2.

A RECESSURIS.) Hæc vera est notatio: Daß dieser der Abschied sey / womit die Stände voneinander geschieden.

ORDINATIONES IMPERII.) In stricto tamen sensu des Reichs Ordnung dicitur die Verfassung des Reichs / cum primis circularis, & inde dependens Ordo Executionis, die Executions-Ordnung. Et hoc sensu accipitur in Capitulationibus, qui significatus est eximius.

TITULOTENUS DISTINGUI.) Imò non distinguuntur, sed in Volumine Recess. Imper. habentur. Differunt tamen à Recessibus Imperii ceteris, partim conficiendi modo, ut ex Instrumento Pacis, Ordinatione criminali, Monetali, constat; partim ob specialia objecta, eaque potissimum in sanctionibus unius generis.

§. 3.

CUJUS GENERIS DUO.) Sunt tamen multò plures, separatò Codice aliquoties editi.

AB ANNO 1582. IMPEDITIS.) Quoniam Christianus Wilhelmus Marchio Brandenb. ArchiEpisc. Magdeburgensis, qui ad Protestantes transierat, ob Reservatum Ecclesiasticum nolebat admitti inter Deputatos Visitationum, quasi juribus suis excidisset.

NULLA EXTRAORDINARIA VISITATIO.) Utrique durantibus his Comitibus Visitatio quædam ad interim, per quosdam specialiter eò Deputatos, in nonnullis Capitibus, suscepta est.

§. 4.

NON SOLI CONSTITUUNT IMPP.) Imò constituunt, & Statùs habent locum conditionis sine qua non.

INSTRUM. PAC. ART. 8.) In hoc tantum prospicitur Statibus de requisitione consilii & consensu ipsorum. *Potestas* vero Legislatoria ipsis nequaquam tribuitur.

VICARII.) Vicarii Cæsaris, *Statthalter des Kaisers*.

CUM STATIBUS.) non tantum cum Electoribus. Sed tamen ante omnia disquirendum est, an effectum Majestaticum habeant illa, quæ per Rempublicam, Rege vel Cæsare vacuam, decernuntur.

§. 5.

CAPITA.) His accenseri debent quamplurima Juris privati, quæ hinc inde per totum Corpus Recessuum Imperii constituta reperiuntur.

§. 6.

CÆSARIS AC ORDINUM.) Imò substantialis eadem est, quæ legis cujuslibet, & ne quidem Cæsar formam, sed *causam efficientem* constituit: Ordinum verò consensus ad modum seu formam *constituendi*, sed non ad formam *constituti*, pertinet: Quò tamen adpellatio *formæ substantialis* unice congruit.

RESOLUTIONIBUS.) Imò ex *Decretis* Cæsaris, quibus Statuum *representationem*, oder *Reichs Gutachten* / adprobat, ut in vim *Legis* transire possit.

§. 7.

PER MODUM CONVENTIONIS.) Verius est, *Cæsarem* teneri, tanquam ex conventionione: *Status* Imperii non modò ex conventionione, verum etiam ex lege, cum in plerisque Imperator *precipiat*, und wir gebieten allen und jeden Churfürsten / Fürsten / &c. und ihren Unterthanen.

JUDICES.) Judex scil. Camera, & Præses Judiciii Imperialis Aulici.

§. 9.

PROFAN oder Land = Frieden.) Differunt tamen Land- und Profan Frieden: Siquidem pax profana eadem est, quam
Re-

Religiosam dicimus, ideò quòd etiam per illam pacificationem seu compositionem Religionis gratiâ, in rebus profanis, pax reducta fuerit. Pax verò publica *der Land-Friede*/ Maximiliano I. debetur.

PRAGMATICA SANCTIO.) Est sanctio pragmatica, quam Princeps cum Consilio Virorum prudentum seu procerum super re publicâ, & quæ ad *πρωτομαρτίαν* respicit, constituit.

§. 10.

NIHIL AMPLIUS ADDITUM.) Imò quæcunque postmodum sancita sunt, ad Ordinem executionis pertinentia, ea omnia ad stabiliendam non modò, sed & ampliandam pacem publicam respiciunt.

§. 13.

NEC REFERT AN IMMEDIATE.) Quoniam *causa* fundat forum in Pace Publicâ, non persona.

EXEMTA.) Qualis inter alios est Dux Burgundiæ.

ECCLESIASTICA.) Adversus *Ecclesiasticos* non fit Executio banni omnimodò quoad corpus, sed tantùm in bona & regalia.

MYSTICA PERSONA.) i. e. Universitas, Civitas.

§. 22. n. 2.

SUSPENSIO ECCLESIASTICÆ JURISDICTIONIS.) Pontificis & Episcoporum. Nam quatenus *Cæsari* ex hypothese *Protestantium* Eccles. Jurisdictio competere potest, tanquam Jus majestatis Imperialis, salvâ tantùm fide & Conscientiâ, pactis firmatâ, ita non suspensa sed modificata est, in territoriis & personis Principum Protestantium.

§. 23.

SOLUM VERTERE COGI POTEST.) Not. hîc, *Beneficium emigrationis*, quod dicitur, esse *voluntarium* in oppositione ad coactionem seu necessitatem permanendi, quæ non amplius intentari potest, ad alteram religionem conversis. Est autem *necessitatis* in respectu ad dominum territorii, qui illis injungere potest

est ut emigrent, & vel bona vendant, vel ad ipsa forinsecus inspicienda & curanda accedant. Atque hoc modo concilianda veniunt verba illa diversa in *Instrum. Pac.* *Sie mögen.* & alibi: *Sie sollen ausziehen* / *add. Aut. infra p. 916. Conf. Limn. enucl. l. i. c. ii. §. ii.*

§. 24. *in fin.*

Conficiunt quoque partem Juris publici sacri *Concordata Nationis Germanica* inter *Frider. III. Imp.* & *Nicolaum V. Pontif.* inita, quæ illustravit *Comment. peculiari Georg. Brandenus.*

§. 27. *art. 2.*

AMNESTIAM GENERALIEM.) *Controversiæ pristinae*, quarum in *Instrum. Pacis*, quod revolutionem totius Germaniæ insecurum est, non fit mentio, facile ut videantur cum Amnestia illâ generali *in art. 2.* sepultæ esse; cum primis si post constitutionem Pacis publicæ in disceptationem judiciariam non venerint: quicquid de illis antiqua historiarum & monumenta archivorum loquantur.

CAPUT IV.

§. I.

VETERIS ROMÆ IMPERIUM.) *Quamvis autem ultra Carolum M.* historia Regionum Germanicarum & Status earundem omninò investigandus sit; tamen quoniam rectius asseritur, Imperium nostrum modernum esse *quartam illam Monarchiam*, seu Imperium Catholicum Propheticum, atque vetus adeò Imperium Romanum. Hinc non minùs à *Carolo M.* ad jura istius Imperii *Romana per Græcos Imp.* & *ultra Constantinum M.* ascendendum est.

§. 2. *in f.*

SENATORES VOCAT.) Imò hi sunt assessores Comitum, *vid. Brummer. Disf. d. Scabinis.*

§. 7.

§. 7.

SOLIS SAXONIBUS.) Contradicit *Grypblander de Weichbild. Saxon.*

MAJORUM ET MINORUM.) Minus rectè in Diæta Osna-
brug. Civitates Imperiales cum his minoribus comparari volue-
re; quanquam in *Instr. Pacis Statuum inferiorum* nomine con-
tineantur.

§. 8.

LOCO NATALI.) Utique *Carolus M. natione* (non etiam
profapiâ,) *Gallum* fuisse, largiendum est; sed *Gallis* tamen per hoc
Imperium Romanum non debetur, ut *alibi* ostensum fuit. Sanè
Carolus M. Germaniam in acquisitione Romani Imperii prætu-
lit, & *Otto M.* denuò Imperium Rom. Germanis firmavit. Quòd
verò *Carolus M.* natione *Gallus* fuerit, licèt natus sit in *Thurin-*
gia: illud inde evincitur, quia is non est locus *nativitatis*, ubi
quis fortuitò nascitur, sed ubi nasci debuit, nempe domicilium
patris. *Carpzov. Dec. 1. Christinaus 5. Dec. 33.*

§. 10.

OPTIMOQUE JURE A REGIBUS SUIS POSSIDERI COEPIT.) Et
tamen verius est, *Carolus M.* jura illa nullâ securitate à possessio-
nibus istius Regni; (cùm & *bellum* per se titulus non sit, sed tan-
tùm acquirendi modus,) verùm ab *Impp. Orientalibus*, per titu-
lum *Cessionis*, *transigendo* tenuisse. Nam & *foedera* possunt su-
scipi, salvo jure nostrò, cum adversariis, nec protinùs *inducia* cum
ipsis in ita pacificationem, imò nec *pacificatio* quælibet jurium
remissionem inducit, aut *petitorii* abdicati, sed *possessorii* tantùm
rationem habet, nisi liquidò diversum exprimatur.

§. 12.

EX QUIBUS OMNIBUS ADPARET.) Imò non adparet. vid.
not. ad §. 10. b.

JURE BELLI.) At verò *bellum*, nisi titulum justum habeat,
nullam justitiam acquisitioni præbet. *Carolus* etiam *bellum au-*
xili-

xiliare gerebat, dum suppetias ferret populo Romano, qui à *Cesaribus Orientalibus*. dependebat.

§. 14. n. 2.

AB UNIVERSO POPULO ROMANO.) Et ne quidem ab hoc valide, nisi *transactio* cum Orientalibus accessisset. Nam populus ille à subjectione Orientalium se eximere, aut Electionis facultatem, non vacante Imperiò, sibi sumere non potuit, citrà iniquitatem & injuriam Imperantibus illatam.

IN EXIGUAS IN ITALIA RELIQUIAS.) Jus videl. quod *actu* exercere poterat. Est enim ostendendum, quòd regiones plures Imperio *Occidentali Romano* se injurià subduxerint: quas quidem haud dubiè, vel jus in illas, Carolum per *transactionem* illam consecutum esse oportuit.

d. §. n. 5.

IN UNAM PRORSUS COISSE REMP.) Seu *jura* unius Reipublicæ: quin potiùs hodiernum *Germaniæ Regnum* liberrimum est. Sic & *Italia* juribus suis utitur. Constat enim, Regnum *Italiae* *Cameram Imperialem Spirensis*, ut & *Comitia Germaniæ*, non respicere. Quin & *Imperii* vox non videtur formam denotare unius reipublicæ; sed *complexum* Regnorum, suis juribus diversimodè utentium: ex quo dehinc singularis *præminentia* & splendor super ista Regna & præ illis exoritur.

§. 16.

A ROMANO IMPERIO DISTINCTIO.) Videl. nomine *Romani Imp.* cum *Conringio* plures intelligunt non nisi *Romam* & reliquias actualis illius Imperii *Rom.* in *Italia*, prout se tempore *Caroli* habebat. Et sic Regnum *Longobardicum* Regni *Italici* nomine intelligitur: ita ut sub Imperio Romano illud non contineretur, multòque minùs *Germania*. Quòd si verò *Rom. Imperium* accipiamus cum juribus pristinis, aut saltim quatenus in nexu illo recenti *Carolino*, cæteris quoque Regnis, ut *Germanico* & *Italico*, splendorem singularem conciliavit: ita licèt jura
sua

sua particularia quodlibet Regnum sibi retinuerit, tamen suo modò dici potest; sub axiomate Romani Imperii ea contenta fuisse, & etiamnum contineri. Unde profluit adpellatio: **Das Heilige Röm. Reich/ Teutscher Nation.**

ACHÆORUM RESPUBLICA.) Cum hoc foedere tamen malè comparatur modernum Imperium Romano Germanicum, quasi istud inæquali tantum foedere, ejus caput Cæsar sustineat, contineatur.

§. 20.

QVOD EQVIDEM SCIAM.) *vid. Aventin. l. 7. Hist. Bavari-
ca. p. 49.*

§. 21.

IN AUREA BULLA CONSTITUTUS FUERIT.) Equidem quòd *Trevirensis* Elector Regni *Arelatensis* ArchiCancellarius etiamnum sit, non modò de Jure, sed etiam actu, quoad hæc quæ ex Regno illo adhuc dum sub Imperio Rom. continentur, indubium est: Itaque Autor eò respicere videtur, quòd ex nonnullorum opinione ArchiCancellariatus ille *Trevirensi* primùm per Aur. Bullam collatus fuerit, contradicentibus aliis, qui defendunt ArchiCancellariatum hunc A. Bullâ longè antiquiorem esse. *add. Mallinkrot. de ArchiCancell. Imperii.*

§. 24. *seqq.*

In universum quoad *Fines Imperii* tenendum est, non posse momenti quicquam afferre contra Imperium, ea quæ *Conringius* habet, de *derelictione tacitâ*, quam & ipse cum *Grotio* & aliis subinde cum *prescriptione* confundit. Imò *Prescriptio* ipsa ne quidem *inter gentes* obtinet, aut obtinere potest, sed est inventum *civile*, ad compescendas lites, inter cives ejusdem civitatis: aded ut quando populos ad diuturnam *possessionem* provocare videmus, illud non eò pertinere putandum sit, quasi *prescriptionem* exinde conficere præsumant, per quam *petitorium* finiatur; sed potius quòd videantur tamdiu insistere velle diuturnæ & qui-

C

etæ

etæ possessioni, (pro qua maxima, etiam ad petitorium inter Gentes, est præsumptio,) donec quoad petitorium idoneis & luculentis argumentis diversum ostendi possit.

§. 38.

TACITE FACTÆ CONFIRMATIONEM.) Nec tamen adparet, ubi libertatem Helvetii ante tabulas *Pacis* consecuti fuerint. Quin & in ipsis tabulis solùm *in possessione* libertatis constituuntur, sepositò petitoriò.

§. 46. *in f.*

PARUM CONTRIBUUNT.) Habent se ferè *contributiones Italica* ad modum, quò *Nobiles immediati* in Imp. Germ. ad contribuendum adigi solent.

§. 48. *in fin.*

EX CANCELLARIA MOGUNT. ANNO 1549.) Ex præscripto *Rec. Imp. de anno 1548.* qui *Recessus* pro fundamento habendus est, in materia *Exemptionum*.

§. 49. *in f.*

EX MONARCHIA ET ARISTOCRATIA MIXTA.) Verior est sententia, *Statum Imperii Romano Germanici Monarchicum* esse, ita quidem ut *plena Majestas* sit penes Cæsarem, ejusque *exercitium*: nec tamen hoc liberum seu licentiosum, & absolutum, ut vocant; sed ut potiora jura majestatis exerceat Imperator consiliò & imò *consensu* Statuum adhibitò, & quidem *Comitiali*, si Comitiam habeantur aut haberi possint, *Electorum* verò (quamvis contradicentibus Principibus & Statibus cæteris,) juxta *Capitulationem*, & nonnunquam aliorum quoque *Procerum quorundam*, extrà Comitiam. Quoniam verò potentia viresque Imperii sensim ad *Statûs* pervenerunt. Hinc *jus* ipsum majestatis, seu *potestas*, remansit quidem apud Cæsarem *ab antiquo*, nec eidem ullibi, ne quidem per *Capitulationes*, ademta vel imminuta est. *Statûs* autem Imperii in præcipuis juribus, *potissimum* in his, quæ ad sui exercitium *potentiam* & vires desiderant, non

non quidem tanquam concausa, vel causa socia, aut ut causa instrumentalis, sed tanquam *conditio sine qua non*, concurrunt. Imò in his, quæ *Imperium* ad *exteros* relatum attinent, ejusque *potentiâ* nituntur, omninò *Cæsarem* majestatis *subjectum proprium*, commune verò Ipsum *Cæsarem* cum *Statibus* universis conficere, dicendum est.

CAPUT V.

§. 8.

Distinctio in *Circulos* respexit initiò *bona*, non *personas*, indeq; nec *Statuum* est, nec *Vasallorum*; Nam *Sabaudus* & *Montbelgardensis* *Statûs* sunt, nec tamen sub *circulo* ullo continentur. Sunt etiam *possessores* quidam *bonorum immediatorum* & *SubVasalli* in *circulos* adscripti, neque tamen *Statûs Imperii*. Sic & *præscriptio*ne aut *privilegiò* in *circulos* cooptatos aliquos videmus, qui *votum* non habent in *Comitiis*. Nunc quidem nemo nisi *immediatus* *censo* *matriculari*, (*ReichsAnschlag*) *Statu Imperii* dignò *instructus*, (etiamsi non *Status*), in *Circulum* assumitur. *Contrà* non potest in *Statum Imperii* recipi, nisi qui in *circulum* receptus fuerit, *Capit. Ferdinand. IV. art. 45. Capit. Leopold. art. 44.* *Circulus* tamen *Suevia* neminem hodiè recipit, nisi qui priùs *Imperii Status* fuerit, *Gockel. de Circ. Suev. n. 35.*

§. 10.

Creysß-ausschreibende Fürsten.) Et tamen differunt das *Creysß-Ausschreib-Ambt* / und das *Creysß-Directorium*. Prius *Episcopus Wormatiensis* juxta se concedit *Pfalz-Simmern* in *OberRheinischen Creysß* / sed non posterius. *Vid. die Refutation der Pfalz Simmerischen Information, in append. part. 19. Diar. Europ. p. 137. seq.*

§. 12. f.

VID. LIMN.) At verò *Limneum* non juvat die *Erklärung*

des Land Friedens / de anno 1522. vom Hauptmann. Licet enim instar Ducis fuerit Capitaneus; tamen in hujus locum iste, surrogatus non est, arg. §. und damit. R. A. d. anno 1555. ubi in modum novæ planè legis de Officio & Electione Ducis statuitur. Idem observare licet, quoad *Praelatos*, quoniam hos in Consiliarios, zu nach und zugeordneten / adscisci posse, dictò Rec. §. 57. disponitur.

§. 13.

CONF. LIMN.) Cum verò *Limneus* inclinet in negativam, rectius statuitur contrarium, quòd Princeps, vel etiam Illustris persona, quamvis *extraneus* quidam sit, dummodò Imperio obnoxius, in *Ducem* rectè assumatur; idque non solum si in Principatu suo, aut Regno extero, superiorem non habeat, sed etiam si *obligatio*, quâ alteri tenetur, functionem circularem non impediatur.

§. 19.

In ejusmodi *Conventu universali* comparent (1) Directores, Duces omnes, & Adjuncti, cum Consiliariis militaribus, & nonnunquam ex Statibus reliquis præcipui. (2) *Vota* non eodem modò computantur, ut in Comitibus: nam in his *Classium* habetur ratio; in quolibet autem Conventu Circulari vota *viritim* feruntur, non *curiatim*. Interim *Sessiones* suas occupant juxta modum in Comitibus usitatum, ad evitandam *precedentia* inter Circulos integros controversiam.

§. 24.

NEGATIVA PROPUGNATUR.) Dicendum est posse remorari executionem Circuli *Cameram* in his, quæ ad Executionem justitiæ pertinent, non in aliis.

§. 25. n. 6.

PRO NEGATIVA.) Quæ regularis est. Sunt enim *exceptiones* (1) in causa Directoris propria. *vid.* Instr. Pac. (2) si magnum præjudicium videatur nasci posse, per executionem Directoris, parti quæ executionem obtinuit. (3) Si Director se participem reddat

reddat causæ, aut eum, contrà quem executio decreta est, defendere gestiat.

PARS SPECIALIS. SECT. I. CAP. I.

NON est putandum, *Regimen Universi* in *Comitiis* tantùm ex-feri; siquidem *Reservata* quoque *Cæsaris* ad *Regimen* illud respiciunt. Imò super exercitio *Reservatorum* Imperator, si quæ *Comitia* fuerint, subinde cum *Statibus* conferre solet, his videlicet, quorum eâ de re interest. *Extra Comitia* verò negotia quoque illa, quæ consensum *Statuum* omnium requirerent, cum *Electo*ribus, tanquam membris interioribus, vel quandoque etiam aliis quibusdam *Statibus*, communicat, eorundemq; consensu & consilio, in locum universorum *Statuum*, utitur, quando vel nulla sunt *Comitia*, vel haberi non possunt. Cæterùm *Dispositio Sectionum*, in hâc *Parte speciali*, non adeò videtur convenire doctrinæ *Auctoris*, quam de *Statu mixto* *Regiminis Imperii* nostri *suprà* proposuit. Nam ille in *Sect. I.* non aliter de *Electo*ribus ceterisque *Statibus* Imperii sollicitus est, quàm ut adhibendi sunt ad exercenda jura *Cæsareæ* *Majestatis*, ceu vel ex *in*scriptionibus *Capitum* patet, ubi non nisi de *Imperantibus* tractat; & quidem sive *Ordinariò* jure, & vel actu secundo, (ut *Cæsar*), vel actu primo, (ut *Rex Romanorum*), sive *vicariò* jure, imperent.

§. 6.

Est inanis disquisitio, unde *Julius Cæsar* nomen *Cæsaris* sortitus fuerit, quippe quòd hoc ipsum à suis majoribus & familiâ *Cæsarum* acceperit. *vid. Henning. in Theatr. Geneal.*

§. 13.

HOC ULTIMO SENSU HIC VENIT.) Imò denotat non tantum

rùm *Dignitatem*, verùm index quoque est sedis *Imperialis Potestatis*, quòdque hanc teneat Cæsar, ut subjectum proprium.

§. 14.

De *Præscriptione* seu *Titulo*: NOS DEI GRATIA. *vid.* *Disser.* nostr. *d. bis quæ perperam Libertatis Princip. Imp. habentur.* Equidem primùm formula hæc *pietatis* fuerat; deinceps verò à præcipuis Statibus pro indicio non modò *Libertatis*, (quæ quidem omnibus Statibus communis est,) verùm etiam in signum *præminentie* peculiaris retenta fuit.

§. 16.

Tutior est opinio, Cæsaris *Aquilam bicipitem* repræsentare Cæsarem & Regem Romanorum, ad discrimen Regiæ aquilæ *unicipitis*. Nam & ex historiâ Græca atque Numismatibus imprimis constat, quòd Aquilæ multiplicatio inter *Græcos Imp.* binos & ternos frequentata fuerit.

§. 18. & 19.

Potest ostendi ex *Historiarum* serie, quòd etiam illis temporibus, ubi jam liberior videbatur Cæsarium *electio*; nihilominus ratio *sanguinis Antecessorum* habita sit. *conf. not. ad Bœcleri Notit. L. IV. c. 1, §. 3.*

CAPUT II.

§. 3.

Aliud est, competere *Electio* nem Electoribus ut *Collegio*; aliud competere eam Electoribus ut *universis*: Nam possunt ferre *suffragia collegialiter*, & tamen valent vota ut *singula seu integra*: ut nempe Electoribus hæc competant jure sui Statûs, & quâ tales sunt.

§. 4.

GERMANUS.) Dicendum est, aliquâ *Constitutione* hoc dispositum

positum videri, licet incuriâ vel fatô perierit. Nam *Ottoni III.* eam deberi, *Strauchius* ex *Mutio* probare nequit, cum ne verbum quidem ille de hâc Constitutione habeat: Alii quoque Authores, qui similia tradunt, documentis destituantur. Sufficit, quod *Observantia* legem, si quâ destitueremur, efficere possit, per manus quasi tradita. Quæ verò rationes aliæ pro excludendis *Gallis* faciant, vid. ap. *Strauch.* in *Exot.* p. 89. & seqq. junct. *Limn.* in *Addit. prior.* L. 2. p. 206.

§. 9.

TUTOR EJUS VICES SUPPLET.) Pertinet huc controversia, quam moverunt *Status Regni Bohemie*, annô 1619. quod ipsi potius quàm *Tutores Regis* minorennis ad *Dixtam Electoralem* vocari debeant. ap. *Lundorp.* *Lib. IV. Act. Publ. c. 61.*

§. 15.

Utique sententia *Arumai*, quâ vult unum, qui remaneat ex pluribus, solum eligere posse, rejicienda est: cum aliud sit, jura Collegii conservari in uno, aliud in eo solo exerceri; maxime reliquis superstibus. Hinc *Dieterichius* ad *A. B. p. 23.* non nisi in summa necessitate *minorem partem* Electorum electionem suscipere debere, scribit.

§. 19.

MOGUNTINUS COLLIGIT CÆTERORUM VOTA.) Est enim falsum, quod in *Caroli V.* electione primus ipse votum ediderit, cum tantum ingressum seu præconsultationem fecerit, ad divertendum scil. animos Electorum Collegarum, ab electione *Francisci I.* Galliarum Regis.

§. 20.

MAJOR COLLEGII ELECTORALIS PARS.) Igitur ne quidem is electus esse censebitur, qui inter candidatos tres vel plures, quatuor Electorum vota habet.

§. 20. in f.

DISSENT. LIMN.) Et hæc *Limnai* sententia verior est: quo-

quoniam suffragia tantum multiplicat, non suffragium totum facit: & quæ votum prius de se ipso excluderent, etiam excluderent posterius. De exemplis, maximè *Sigismundi Bohemi*, vid. *ad Bœcler.* notata.

§. 25.

LIMITIBUS.) Cum verò limites non cadant in *substantiam* actus; sed duntaxat *modum* exercitii *Potestatis* definiant, & *Officium* Imperatoris describant. Hinc adparet, Cæsari omninò *plenam* Majestatem tribui, imò *absolutam*, si hanc non pro licentiosa accipias, sed pro completa omnibus numeris, hoc est ut Majestatem in *latitudine*, quoad jura omnia, & in *longitudine* seu *independentia*, teneat.

§. 25. in f.

ETIAM ANTEQUAM CORONATUR.) Etenim *electum* se adpellat, non quòd defectum *Coronationis* per hoc indicet; verum quòd sufficientiam *Potestatis* innuat, quâ solâ etiam vi *electionis* pollet.

§. 26.

NECESSITATIS.) Quamvis autem non sit necessitatis *absolutæ*, est tamen subinde necessitatis *hypotheticæ*, cum possit privilegio antiquo, per Cæsares successores non confirmato, *facilius* objici *exceptio* sub- & *obreptionis*, nec tanta sit pro antiquis *præsumptio*, atque pro his, quæ *successivè* renovata sunt.

§. 29. in f.

Fuerat autem *necessaria* antehac *Coronatio Romana*, non ob auctoritatem Pontificis, sed ob *exactionem* Electorum, ad reparanda *jura Italiae*. Hinc licet his qui coronam Rom. nondum susceperant, nomen *Imperatoris* tributum non fuerit: (quanquam hoc non ubique observatum sit, vid. Goldast. in *Repl. pro Imp. c. 36.* Et ipse Innocentius X. Ferdinandum III. quamvis tantum *electum*, appellaverit Imperatorem; Idemque nunc etiam servetur:) Tamen *abusus* illi rem non variant. *add. Myler, in Rumelin. P. 3, D. 6. tit. 6.*

§. 41. in f.

§. 41. *in f.*

SIGONIUM.) Item Lazium *Lib. 9. de Rep. Rom. c. 3. ut & Boecler. de Auspic. Reg. c. 4.*

§. 44.

TYPARI NOMINE VENIT.) nobis eiu Stämpel/ quod à sigillo ipso, seu caractere, hæctenus distinguitur.

CAP. III.

§. 5.

Nicht unbillich.) Sed tamen Lege hoc nondum definitum est, nec tale quid ex *art. 8. Instr. Pac.* confici potest.

§. 8.

MAJESTATEM ILLI TRIBUUNT.) Habet omninò Rex Rom. *Majestatem* numerò *eandem* cum Cæsare, ut hæc solùm in duobus subjectis simul subsistat, nec tamen simul à duobus, sed per vices, exercenda sit. Hinc Rex Rom. habet *Majestatem* illam *ratione exercitii*, etiam actu primò, quam in actum secundum deducit, quando Cæsar operari nequit: & hoc quidem non ex defectu Potestatis, sed ex necessitate conventionis, qua semet Cæsari & Electoribus, de exercendâ potestate illâ, obligavit.

CAPUT IV.

§. 1.

EX GOLDASTI SCRIPTIS.) nisi quòd Monarchia Cæsaris, cum primis quoad partem alteram Jurium *Sacrorum*, adversus *Pontifices* exinde vindicetur.

EX LEGE REGIA VETERI.) Quòd si Romanum Imperium superest, oportet omninò rem ab origine repetere, quatenus inde quid temporibus sequentibus immutatum esse ostendi non potest.

D

CAP-

CAPITULATIONIBUS CÆSAREIS.) Imò per Capitulationes in genere, Majestatem Cæsari delatam esse, enunciatur. Et quamvis inibi jura specialia omnia, seu partes quælibet Majestatis, non exprimantur, neque facilè exprimi possint. Tamen ex conceptu illo generali, quæque dehinc ei subnexa sunt, Potestas Cæsaris, eamque exercendi modus, qui potissimum per Capitulationem exactiùs describitur, satis peti potest.

§. 2.

REGALIUM NOMINE.) Nunc quidem Cæsari *Jura* tantùm *Majestatis* tribuimus, quæ rarò *Regalia* adpellari solent, postquam hæc ad *Statûs* in territoriis ipsorum transiêre: quæ tamen hoc ipso a Cæsare dependent, & solùm propria Statuum esse dicuntur, quòd in patrimonio illa habeant. Imò quæ jura ipsi exercent intrà territoria *sua*, illa jura *Superioritatis*: quæ in territoriis *alienis*, v.g. ex conventionem, præscriptione &c. tenent, *Regalia* adpellamus, eò quòd Superioritatis illa dicere non liceat; Regalia verò dicantur tanquam jura eximia, à Rege seu Cæsare concedi solita, & quæ non competant facilè nisi his, qui Dignitate regali instructi sunt. Quocircà jura similia in *Civitatibus municipalibus* & *Landsasfis* nomine *Privilegiorum* designare solemus.

§. 3. in f.

PARS QUÆPIAM IN REPUBLICA MIXTA.) Quin & si mixta non fuerit, jura *non Reservata* dicuntur, quorum exercitium solitariùm sibi non reservavit Princeps: qualia sunt Romanæ Majestatis plurima. Nec tamen jura illa Majestatis, indeque nec jura non reservata, adscribere licet parti illi, quæ in Republicâ simplici modum exercendorum jurium illorum, quem administrationem appellant, ingreditur. Cæterùm acceptio singularis est *Reservatorum*, quando jus nova vectigalia erigendi, Reservatum dicitur, in R. A. de Anno 1576. §. Dadurch dann nicht:

nicht: Cùm tamen Cæsar non possit novum indulgere vecti-
gal, nisi adhibitò consensu Electorum unanimi. Videlicet re-
servatum dicitur vectigal, seu jus vectigalis, quòd non transfe-
ratur in Imperii Principes cum concessione territoriorum; sic-
ut eodem sensu jus monetandi reservatum dicere licet. Pro-
priè *h. l. Reservata* sunt, Jura majestatis, quæ Imp. Romanus li-
beræ suæ dispositioni, absque Ordinum vel Electorum necessa-
riò consensu, exercenda reservavit.

§. 3.

COMMUNICATA.) Hæc jura non Reservata, minùs rectè
Communicata dicimus, sed subsistimus in simplici adpellatione
jurium majestatis. Etenim Cæsar per hoc, quòd in consensum
adhibet Statùs Imperii, dum illa jura exercet, nequaquam dici
potest ipsa jura cum illis *communicasse*. Ubi simul observan-
dum est, in Regimine *subalternò* seu particulari *Territoriorum*,
quando inibi Status quisque jura illa tenet regalia, quæ olim Cæ-
saris fuerant, perperam quoque dici, jura illa Statibus *communi-
cata* esse. Neq; enim tenent illa, quæ Majestatis sunt, quippe quòd
in nomen transeant jurium Superioritatis, quæ quidem depen-
dentia sunt & concessiva, certisque modis circumscripta: ut inde
vicem Cæsaris non nisi impropriè Statùs in territoriis suis gerere
dici possint. Imò minus dicitur pro Statibus, quando Vicariù
adpellari volunt, siquidem jura illa habent in patrimonio, cum
perpetuâ & propriâ facultate, in heredes transitoriâ. Interim
suò modò Cæsar adhuc dici potest, pristina illa jura Majestatis
seu Regalia tenere in universo Imperio, indeque etiam in Terri-
toriis Statuum. (Secùs Majestas Imperii in universo integra non
fuerit, quia totum non constat nisi ex suis partibus.) Habet ita-
que Cæsar jura illa etiam in actu signato: habet exercitiò Sta-
tuum, quod ad arbitrium Majestatis per Leges Imperii compo-
situm & ordinatum est: habet exhinc, quòd Statùs illa teneant
cum recognitione beneficiariâ,

§. 4.

QUÆDAM SOLI IMPERATORI.) Imò omnia soli competunt Imperatori. Nec si Electoribus quædam competere, magis iisdem competere possent, quàm Statibus cæteris.

§. 5. n. 8.

A SOLO IMPERATORE.) At verò in Imperio universo nemo alius nisi solus Cæsar privilegia concedit.

d. §. n. 20.

PROPONENDI.) Et tamen pluralia sunt in *Comitiis*, quæ solius Cæsaris sunt, non adhibitis Statibus, quæ designat *Stamærus in Tr. de Reservat.*

§. 6.

SENATUS IMP. AULICUS ETIAM.) Quisnam verò etiam hæc ratione alius præter *Cæsarem*, qui in *Ordinatione* Judicii Aulici se esse *Judicem* hujus judicii profitetur.

CAPUT V.

§. 6.

JUS CURANDORUM SACRORUM.) Quoniam Respubl. quælibet, & sic quoque Romano Germanica, integram Majestatem habere debet: ideò *Protestantes* saltem *Cæsari Jus universale Sacrorum*, nempe *externum*, (nam *internum* ministerii divini, nec terrenæ potestatis, est,) attribuunt; ita tamen, ut cum in Sacris ab ipso dissideant, ne idcirco in fide atque exercitio Religionis suæ periclitentur, pro Libertate Proceribus Imperii Germ. competente, cum Ipso & non minùs Statibus Catholicis, tanquam membris Imperii, ob hoc in certa capita conveniant. Quod quidem sicut ipsi Potestati majestaticæ *Imperatoris*, quam in Sacris Ipsum habere necesse est, non detrahit, neque Principem cum subditis quoque suis, super exercitiò Religionis, in certa capita convenire posse, repugnat. Ita *Pontifici*
nil

nil quicquam Potestatis externæ, quæ Majestati Reipublicæ ex hypothesi Protestantium debetur, Illi deferunt; nimium licet Ipsi deferant Catholici. Hinc Idictionem quoque Pontificis in *Spiritualibus* ipsi subeunt; Protestantes verò Cæsarem, quâ fieri potest, sequimur.

§. 15.

Ex CIVILITATE MAGIS.) aut superstitione, quâ non potest præjudicare, per confessionem suam, *Cæsar* Imperio ejusque juribus, ut nec *successoribus* suis, qui proprio jure in Regno electio succedunt. Cum enim certum sit, constitutionem *Personarum sacrarum* antehac Cæsaris fuisse: ideo tamdiu *Preces* illæ *primariæ* pro residuo quopiam ex pristina illâ constitutione haberi debent, donec concessio nova *Pontificis* liquido probetur.

§. 16.

IMPERATRICI.) Sed hoc ipsum nullatenus probari potest. Et si fortè Imperatrici unò alteròque casu tale quid indulserit Imperator, potius tamen est, ut Imperatori effectus ipse in solidum adscribi debeat.

§. 18.

ADHUC LOCUM ESSE.) Quæ sententia probabilis est, maximè quòd etiam *Trevirensi* jura sacra in illis Episcopatibus, Gallorum Regi cæssis, per *Instr. Pacis* retenta & reservata fuerint.

CAPUT VI.

§. 5.

NEGAT.) Tutiori viâ, quoniam constitutio *Academiæ* novæ moram patitur, & prætereà res magni est præjudicii: qualia quæ sunt *Vicariis Imperii* concessa esse putandum non est.

§. 6.

AN COMPETAT MERUM IMPERIUM.) Extrà dubium Academiais quoque illis, quæ Jurisdictione criminali hodiè destituuntur, aliqua competunt, quæ secundùm Jus Justinianicum mero imperio accensenda fuissent. Non enim æquè latè patent merum imperium & Jurisdictio criminalis.

§. 12.

BRABEUTÆ EXERCENT.) Cùm verò Brabeuta sit ipse Promotor, & hic a seipso Potestatem promovendi non habeat. Hinc eandem à Decano cujuslibet Facultatis, in Academiais, ubi peculiare Cancellarii non habentur, tanquam à Procancellario consequitur.

CAPUT VII.

§. 7.

CUM PERSONA PEREAT.) Quamvis autem (1) nonnulli Dignitatem hanc solùm *in personam suam* obtineant, velut hi plerumque, qui *majoris*, puta Comitum, Baronum, *Dignitatis* sunt, atque istud axioma, ceu virtutis à se exercitæ singulare decus, titulis suis inserere gestiunt. Tamen etiam Imperator istam Equitum Dignitatem *pro heredibus* impertire solet, atque tunc in foeminis appellatione quidem nominis abstinemus, sed tamen Dignitas nobilis, quæ unà posteris confertur, in utroque sexu, magis eximia quàm simplex habetur Nobilitas: sicut inter alia ex *serie Dignitatum* in *Taxâ* Imperiali constat. Neque etiam Comites Nobilium titulos expetunt, qui tamen Ordinem hunc Imperialem singulari ornamento habent, daß sie sich des Heil. Röm. Reichs Ritter / item, prælatò Ordine (Imperiali, des Heil. Röm. Reichs (und Johanniter Ordens) Ritter / schreiben mögen. (2) Quod hinc de *catenâ* seu torque tradit Author,

Author, ad Equites S. R. I. planè non pertinet, eò quòd nullos istud Torquatos, sed solùm *Auratos*, habeat. (3) Ex non Nobilibus quidem Equites immediatè non fiunt, sed tamen si quem non Nobilem Cæsar Equitem creat, simul ipsum unò actu per Nobilitatis gradum evehit. Illud certum est, quòd sicut majora privilegia Equites habent Nobilibus: ita etiam Dignitas Equitum majori virtute, sive togatâ sive sagatâ, nec unquam solis divitiis, redimatur. Et licèt Cæsar non facilè extrâ solennitatem suæ Coronationis in creandis Equitibus *Gladii* ritum adhibeat; tamen Diplomati eorum, qui extrâ ista solennia in den Ritterstand evehuntur, inseri solet, gleich als ob sie von Uns mit dem Schwerdt/ und denen hierzu gewöhnlichen Solennien/ zu Rittern geschlagen wären.

§. 14. (AD FIRMANDUM DUCIMUS.) Utique voluntariæ Jurisdictionis dici non potest Legitimitas, sed Imperii est, seu majestatis; nec dubium, quin ipse *Princeps* in re propriâ, ut alibi, sic etiam hîc, Majestatem liberè exercere possit. At verò in *Delegato* non eadem est ratio: sicut aliàs, cui Princeps Jurisdictionem universalem in districtu quodam delegavit, eadem uti non potest in causa propriâ, ut potuisset Ipse Princeps. Pari ratione non potest procedere, quod de *Instrumento* hîc adducitur: nec enim ille qui delegatam potestatem habet, instrumentum rectè dicitur, quin potius ipse agit, & *virtutem causandi*, aliter atque instrumentum, habet; licèt illa à potestate Principis seu Cæsaris ordinariâ dependeat. Hinc non possunt Legitimationes, quas *Comes Palatinus* peragit, per omnia Cæsari adscribi: cum sanè Comes Palatinus in propriâ causa versetur, dum spurium suum legitimaturus est, qui non est spurius Cæsaris. Igitur *negativa* verior est, cum primis si Legitimitas illa in præjudicium aliorum tenderet.

CAPUT

CAPUT IIX.

§. 1.

PLUS HONORIS SIT QUAM MUNERIS.) At verò dubium non est, *Trevirenses* & *Colonienses* Electores Officia *Archi-Cancellariatus* actualia tenere. Quamvis enim *Moguntinus*, quo usque *Cæsar* in *Germania* degit, expeditiones quoque *Italicas* & *Gallicas* habeat; tamen si in *Italia* degeret *Cæsar*, vicissim ad *Coloniensem*, tanquam Imperii per *Italiam* *Archi-Cancellarium*, expeditiones quælibet, etiam *Germanicæ*, pertinerent. Idemque ad *Trevirenses*, rat. *Galliæ* & *Regni Arelatensis*, congruit.

§. 2.

AB HENRICO II.) Sed huic traditioni fidem idoneam non facit *Bruschius*, & ostendi potest, originem Officiorum illorum multò recentiorum esse.

§. 3.

CAMERA VERO SPIRENSIS.) Dependet utique *Camera Spirensis* quoad *Jurisdictionem* à solo *Cæsare*. Quantum verò ad præsentationem *Assessorum* attinet, illa *Statibus* quoque concessa est; juxta designationem in *Instr. Pacis* expressam.

CAP. IX.

§. 1.

JUS INVESTIENDI STATUS IMPERII.) Rectiùs dicitur jus conferendi *Feuda Imperii*: siquidem etiam *Feuda* dantur plura, quæ conferuntur à *Cæsare* iis, qui *Status* non sunt, & *Feuda* quoque *non regalia*. Nec rectè aded restringitur ad *Fahnen und Scepter Lehen* / quippe quæ *Feudorum* adpellationes solum

CAPUT

lùm ad Feuda *Principum* pertinent; quanquam, dum *Vicariis* Investitura Feudorum *Vexilliferorum* in *A. B.* denegatur, ibidem plerique hoc nomine etiam Feuda Comitum & cæterorum, qui *Collegio Principum Imperii* continentur, intelligi velint.

§. 2.

CONCORDATA NAT. GERM.) Igitur Concordata hæc magis respiciunt ad Jura *Collegiorum Ecclesiasticorum*, quibus graves erant Pontifices, postquam Imperatoribus Constitutiones Episcoporum extorsissent. Cum verò non omnium Statuum Imperii assensu, sed *quorundam Ecclesiasticorum & Secularium Principum*, Concordata illa inita & recepta fuerint; (v. *Gravamina German. Nation. ap. Goldast. Tom. 2. Const. Imp. p. 120.*) hinc rei & veritati hoc nomen minùs convenire dicitur. Servantur tamen illa usu, & partem Legislationis seu juris publici constituunt, (v. *R. S. Ordn. Ferdin. III. in fin.*) adeò ut Cæsar in *Capitulatione* (conf. *Capit. Carol. V. art. 16. Ferd. I. art. 15. ubi restrictio. & Ferd. IV. art. 16. ut & Leopold. art. I. § 19.*) se obstringat, quòd & Ipse Concordata hæc servare, & simul efficere velit, ut & *Pontifex* illa ubique sequatur. Pertinet eò Constitutio *Clementis Pape VII.* de anno 1534. & Declaratio *Gregorii XIII.* de anno 1576.

§. 5.

MAGIS SACRI IMPERII, QUAM PROPRIA VIRTUTE.) Imò exercet jus hoc Majestatis vi Imperii, quod Ipse tenet propriò jure, non ut *Imperium* Statùs denotet. Quidni aliàs Investitura fieret in *Comitiis*? quod tamen non nisi occasione sic ferente contingit, etiam pristinis temporibus. (Ita emend. in §. 6. b.) Hinc etiam quando *juramentum* præstatur Cæsari, & ad Imperium dirigitur, (conf. §. 8. b.) non accipiendi sunt *Imperii* nomine Statùs, sed integritas & Salus Universi, cui fidem debeat *Vasallus*, exhibendam *Imperatori*, qui Majestatem personalem

E

susti-

sustineat, nec adeò ut nudo *administratori*, velut Auctor *b.* ad modum Hippolithi *a Lapide*, expressit.

§. 6.

INTRA ANNUM.) Cui *diem*, communi Feudorum jure adjectum, connumerari Aula non patitur.

Die Ritterstube.) Licet verò Equites inibi creentur, Feuda tamen Principum ibi haud unquam, sed in *Anti Camera*, & quidem *anteriori*, conferuntur.

NE IPSIMET SESE HUMILIARE.) Vana hæc ratio est, & potius sumptibus evitandis Legatos mittere solent Principes, qui tamen causas impedimentorum alias Cæsari adprobare solent, isque eas vix & difficulter agnoscere; imò si quando vel Principatus novus constituitur, vel alius transfertur, etiam Electoratus, in personâ Principes Electoresve eosdem suscipere non dedignantur: ut nec aliàs, ubi præsentibus illos Cæsari esse contingit, vel aliis de causis ad Aulam Cæsaris se conferre, & ibidem commorari necesse habent.

§. 7.

Den Lehen-Tax.) Sed *Taxa* aliqua, in Feudis quoque *Principum*, non obtinet, verum loco illius præstatio solennis vor die Hof-Membler. Quin & hæc præstatio ante *Actum Investitura* exsolvenda est. Die Cangley-Gebühren/ vor den Lehn-Brief/ post solennitatem peractam, pro *Litteris Investitura* tunc accipiendis, solvantur.

§. 8.

NON IMPERATORIS TANTUM.) Imò Imperatoris, quâ tenet Imperium; non Imperatoris & Statuum. Vicissim licet Status non tantum singuli, sed & *universi*, subesse Cæsari dicantur passim in Imperii Constitutionibus. Ibi: *Alle und jede*. tamen hoc *Imperium* quoad Status in complexu acceptos, non ita concipi potest, ut non ad singulos potius vis imperandi dirigatur: Cum quidem *Status universi*, ob potentiam & vires
Impe-

Imperii, quæ penes Ipsos consistunt, nunquam *simul* imperiis seu jussibus Cæsaris substant; nisi ex conventionem, in modum partis contrahentis, materia Legi universali ab iisdem suppeditata fuerit. Quod si enim universi restiterint Cæsari, adigere universos in sua jussa non potest.

MAGIS CIVES QUAM SUBDITOS IMPERII.) Et tamen verius est, cum ipsa hæc potestas territorialis dependens sit, nec *autocratica* rectè dicatur, illam tantum ratione *subditorum* faciem Potestatis summæ habere: cæterum Principes ipsos Cæsari & Imperio verè subditos esse, nec tantum *subjectos*, h. e. ut terræ ipsorum, non etiam personæ, Imperatori & Imperio subjectæ sint. *Civium* verò nomen ex *Aristotele* malè affertur, qui civem *Democraticum* descripsit, participem sc. Senatûs & Judiciorum. Nobis rectius in adpellatione *Status Imperii* subsistitur: quod nomen dignius est, quàm nomen *Civis*, quippe quò non minus gaudent *mediati* quoque Imperii subditi.

§. 9.

QUOD SIT PRIMARIUS DOMINUS.) Sed ubinam *secundarius*? nam *Imperium* tenet Cæsar, ad quod Feuda respiciunt.

NON IMPERATOR SED PARES CURIAE.) Nititur *Author* decantatò *illò jure Parium, Fürsten-Recht*. Enimverò quòd in figmento mero jus istud consistat, & *solius Cæsaris* hæc Jurisdictio, ex *Reservato*, sit, hoc constat ex *Jure Feudali* communi, ex *A. B.*, ex *Ordinat. Cam.* (quibus frustra Dissidentes obloquuntur,) quin & ex *Instr. Pacis*: ut tamen Cæsar, vi *Officii sui*, & pro conservandâ tranquillitate publicâ, in causis *gravioribus*, non quidem Comitiale placitum, sed unum alterumve Electorem vel Statum in consilium, adhibere teneatur. Quod verò hic de *Sigismundo* adfertur, illud cum cæteris argumentis, pro illo *Fürsten-Recht* vulgò allatis, in *notis ad Bæcl. Notit.* discussum est. (*add. §. 11. 12. & seqq. b.*)

§. 10.

IN ARBITROS.) Aliquando tamen Imperator arbitros admittit, quando videl. de particulari quodam jure Terrarum agitur: ut in causa Palatini *Wildfangiatûs* contigit; sed ita nihilominus sibi reservare solet *die Ober-Obmannschafft*.

NEQUE AUSTREGÆ.) Siquidem causæ, in quibus Jurisdictio Camerae fundata non est, ad Austregas deferri non possunt.

VIX TAMEN EST.) Quoniam *Reconventio* requirit *competentiam* Judicis, quoad Jurisdictionem, h. e. ut potestatem in *Causis* illis judicendi inter alios habeat; licet possit esse incompetens ratione *Judicii*, h. e. ut v. g. actor aliàs foro illius Judicis subjectus non sit.

§. 12.

PROBABILE EST, PROCERES IMPERII.) Sed *probandum* fuerat, quod sibi prospexerint.

INVALUISSE.) Etiam hoc probandum: nam consequentia Potestatis judiciariæ Statuum universorum, causas Constatuum per sententiam decidendi, ex adhibitione aliquorum, plerumque eorum, qui Cæsaris aulam sequebantur, (extra Comitiorum foamam, nec ut Statuum, imò etiam non Statuum,) in consilium nulla est. Nil etiam Jurisdictionis post Interregnum obtinere *Statûs*, nisi residuum quid ex his quæ invaluerant, (maximè sub Interregno) *Austregis*: quas quidem Imperatorem *Maximilianum I.* confirmare oportuit, ut in posterum valere poterint. Et tamen Jurisdictio Austregarum valdè angusta est.

ID EST CONVOCATIS PARIBUS CURIAE.) *Gratis Fridericum II.* ad Hypothecam suam, nullò aliò argumentò probatam, inflectit Author: Etenim modus ille cognoscendi non denotat adhibitionem *Parium*, sed substantiam potius negotii concernit, quod scil. ipse Cæsar ab antiquo solus cognitionem causarum illarum susceperit, & suscipere debuerit, eò quod non viderentur

tur

tur causæ illæ dem Hoff-Richter / seu Præsidi Judicii Imperialis Aulici, committendæ esse.

§. 13.

STATUS IMPERII MIXTUS.) Neque *mixtus* est Status Imperii, nec si mixtus foret, sequitur, etiam quoad *Jurisdictionem* mixtum esse. Cæterum salvâ majestate suâ Cæsar in his negotiis potest non tantum, sed imò debet consilium Ordinum adhibere: ex quo tamen frustra Ordinibus Jurisdictionem ipsam conciliaveris. Non etiam Statûs sunt *Vasalli Statuum*, sed solius Imperatoris, *Imperii* nomine: hinc quoque solius Cæsaris erit, tanquam Domini feudi, Jurisdictio.

§. 15. *in fine.*

Repugnat hoc usui quotidiano, ubi super juribus *particularibus*, etiam regalibus, Camera Imp. quoque cognitione & judiciô fungitur.

§. 16.

CAUSÆ CONTINENTIA.) Ratio *prior* prævalet, & *Observantia*: nam quod *continentiam* concernit, illa inter possessorium & petitorium perpetua non est: siquidem ipsa *Camera Imperialis* possessorium in causis matrim. & spiritualibus aliis suscipere potest, petitorium non item.

§. 17.

NEGANT ARUMÆUS ET AL.) Quorum sententia probabilior esse videtur, cum ferat *moram* hæc cognitio, & majoris sit præjudicii, quàm investitura, quæ tamen illis negata est. Nec facile Vicarii ad *Reservata* Cæsaris manûs extendere possunt.

CAP. X.

§. 2.

IN PERSONALIA ET REALIA.) Cavendum est, ne confundamus Constitutiones *speciales*, quæ nim. certum genus *personarum*, v.g. minorum, Clericorum &c. aut *causarum*, concernunt,

ut dotis, alimentorum, & in *Jure Justinianeo Privilegiorum* nomine veniunt, (quò etiam pertinet privilegium *depauperatis debitoribus*, in R. I. de anno 1654. indultum,) cum Constitutionibus *personalibus*, ut in *Jure Justiniano* adpellantur, & nunc quidem hodiè nomine *privilegiorum* veniunt: quæ videl. conceduntur aut *singulis personis*, aut *universitati*, sub nomine *proprio*, Titii, Caji, Spiræ, Ratisbonæ &c. Hoc locò de Constitutionibus tantùm *personalibus* agitur, quæ quidem aliquando *Realia* sunt, h. e. *in heredes* transitoria; aliquando *personalia* in specie.

§. 3.

SUBJICIT CAUSAS.) Quid enim si redundet privilegium ejusmodi in *perniciem publicam*? Quid si *causa* cesset, ob quam concessum est? si *circumstantia* deficiant? nam *rebus sic stantibus* videtur indultum esse. Quid si privilegio privilegiatus *abutatur*,

§. 4.

IN SOLIUS CÆSARIS ARBITRIO.) Pertinet hoc ad privilegia seu constitutiones *personales*: nam jura *specialia*, quæ Justiniano jure, l. 196. d. R. 7. & alibi, *privilegia* dicuntur, ad *Comitia* respiciunt, non ad Reservata Cæsaris.

PRÆJUDICIUM INFERRE.) Licet enim in *Reservatis* non obstrictus sit Cæsar speciali definitione seu lege, ut consensus & consilium Statuum exploret. Tamen non est putandum, quasi non etiam Reservata subsint generali illi admonitioni, quæ ad universum Cæsaris *Officium* se porrigit: quòd videlicet, si quando gravioris momenti quid occurrat, *oder in wichtigen Fällen* / qualia non minùs in exercendis Reservatis suboriri possunt, consensus ejusmodi, saltem Electorum, negligere non debeat. Deinde ne quidem in Reservatis exercendis quicquam facere potest aut debet Cæsar *in præjudicium tertii*. Nam hoc facere non potest, qui vel citra controversiam Majestatem liberam

beram habet: ceu nec ipse DEUS potest ea, quæ essentia divi-
næ repugnant, eamve destruunt, ut mori, peccare, &c. Siquidem
illa non sunt objectum omnipotentia divina, adeoque nec obje-
ctum est majestatis, quod destructionem ejus aut tyrannidem
sapit: ut posse alienare quid ex Imperio, posse jus suum detra-
here immerito, & similia, &c.

§. 6.

Strittigen Ständen.) So darunter Churfürsten be-
griffen seind.

§. 8. in f.

Possset statui, Cæsarem, (quippe cujus est Jurisdictio univer-
salis & suprema in Imperio,) avocare posse causam aliquando à
Camera Imperiali, sicubi constat eam Jurisdictione, quâ Cæsaris
vice, quanquam ex Lege Ordinationis, & concurrenter, fungitur,
abuti. Per hoc enim non everritur: Daß dem Cammer-
Gericht sein stracker Lauff gelassen werden solle. Nam &
Princeps quilibet in Territorio suo, licet non possit impedire *Va-
sallos suos*, in Jurisdictione ipsis per conventionem vel cum feudo
concessâ, quamvis subalternâ; potest tamen, si eadem abutantur,
uti ex Potestate superiori causæ unius alteriusvè avocatione.
Quoniam verò rarissimi casus fuerint, ubi Camera Jurisdictio-
ne suâ abusa esse censi possit. Hinc DD. ad *negativam* pro-
lapsi sunt: & tamen *præjudicia* extant, ubi Aula Cæsarea, eò
quòd pars gravata super Processu Camerae apud Cæsarem con-
quereretur, si non avocationem; tamen simile quid tentaverit;
ut vel ex sola causa *Waldeck* contra *Ostfriesland* evidens est.
Num verò Cæsar causam avocaturus Imperii *Status* in consor-
tium admissurus sit? ut *c. XII, §. 7. b. in fin.* traditur, meritò
dubites.

§. 13.

COMITES PALAT. CUM BAVARIS.) Quoniam videl. Co-
mites Palatini in Collegio *Principum* non putant sibi præjudi-
cari

cariposse ex eo, quòd *Electoꝝ Palatinus* inter *Electoꝝ* ad ultimum locum dimissus fuerit.

ALTENBURG. CUM VINARIENS.) Cessat hæc controversia, post extinctam lineam Altenburgicam. Ducatûs verò *Coburgensis*, in eâ lite adv. *Vinarienses*, ratio haberi non potuit.

INTER SE.) At verò postquam alternatio inter hæc *Domos* placuit, unde *die alternirende Häuser* per excellentiam dicuntur, nulla amplius controversia præcedentiæ inter illas superest.

§. 14.

UTERQUE EORUM.) Vera est relatio Authoris, quantum ad rem ipsam, ex *Scriptore der Grundveste / Heideno*, de Comitibus anni 1654. Cæterum ipse *Heidenus*, tum temporis *Secretarius Vinariensis*, postmodum *Consiliarius Aulicus*, sub initia Comitiorum modernorum, non amplius in vita superstes fuit: neque etiam *Legati* munus in Comitibus prioribus sustinuit, sed Legationi tantum adstitit. *Hagenmeierus* autem non fuit inter Legatos Comitiorum de anno 1654. sed tantum in modernis locum Comitum *Wetteravicorum*, quos in anterioribus *Joann. Vietor*, *Cancellarius Waldeccensis*, repræsentaverat, obtinuit.

CAPUT XI.

§. 1.

EST RESERVATUM IMPERATORIS.) Cùm Author tribuat *Cæsari extremam provocationem*, tanquam Reservatum Imperatorium, non adparet, quâ ratione denegare potuerit *Eid. Jurisdictionem supremam*; quin potius de eâdem Statûs quoque Imperii in *Camerâ*, & non minus in *Aulâ Imperiali*, per prætensum *Jus Parium das Fürsten-Recht / participare* voluerit. Imò

Imò cum Jurisdictio Cæsaris *eminenter* talis sit, non formaliter, nec teneat eam vi Magistratûs, sed vi Majestatis, quapropter omnis Jurisdictio Cæsaris suprema, & quoad lites ab Inferioribus ad Ipsum delatas, extremæ provocationis est. Hinc oportet ex doctrinâ hujus loci, ut *Cæsari* Auctor Jurisdictionem in utroque Judicio, Camerali & Aulicò, *soli* relinquat; sicut etiam *ab illâ Jurisdictione* Cæsarea Majestas, per Privilegia de non adpellando, *Statûs* eximere potest.

QUERELAM NULLITATIS.) Esto Querelam Nullitatis non excludi per Privilegium de non adpellando regulariter. Tamen satis constat, *Ducum Sax.* privilegium etiam ad Querelam Nullitatis porrigi: atque hinc eandem adversus sententias Ipsorum in supremis Imperii Judiciis admitti non posse, ut nec locum invenit Supplicatio, vel Remedium simile aliud: ceu ostensum est à Carpz. in *Diss. de Saxon. non provocandi Jure.* Unicè Querela *protracta vel denegata justitia*, per Privilegium istud exclusâ esse non potuit. Quamvis etiam aliquando ex hoc capite causa una vel altera ad Tribunalia Imperii deferri voluerit, tamen exitum delatio illa sortita non est: cum nequiverit ostendi unquam à parte supplicante, quòd in Curiis Sax. reverà denegata vel protracta Justitia fuerit.

§. 2.

AN AUTEM PROPTEREA EO EXCIDERINT.) *Afferendum* est: & idcirco in *Comitiis* & R. J. de anno 1654. Privilegia illa Electoribus cæteris (præter *Saxonem & Brandenb.*) restitui & reduci oportuit.

§. 3.

MARCHIONES BRANDENBURGENSES.) Cum Privilegium *Electoralis* Saxon. ad *Duces* quoque Sax. pertineat, in Privilegio Brandenburgico, aliisque Electoribus, rat. Domûs suæ, non idem est.

ELECTIONIS FORI.) Quod tamen Privilegium huc non perti-

pertinet, quoniam causas subditorum vel aliorum, qui Judiciis Provincialibus Principum illorum subiecti sunt, non concernit, sed ipsos Principes, si quando in causis suis coram Judiciis Imperii conveniri debent.

LANDGRAVIUS HASSIÆ.) quòd si tamen ab *Aulico* Eorum Judicio, *von Ihrem gesammten Hof Gericht* / non ad Aulam Cæsaris vel Cameram Spirensis, sed ad *Revisorium* Ipsorum, appelletur, ab hoc deinde Revisorio, qualiscunque tandem summa fuerit, ulterior provocatio non admittitur.

§. 4.

EFFECTUM SUSPENSIVUM.) Quæ sententia extra dubium est: ut adeò licet *Supplicatio Revisioni*, quoad *solennia* introducendi & reliqua, de quibus in *R. A. 1654.* æquiparata sit; tamen in effectu suspensionis ab eâ differat. Videlicet in *Aula Imper.* suspensio faciliùs potuit admitti, quoniam ibi sententia citiùs in Instantia Supplicationis obtineri potest, cum suspensa causa ab eodem Consilio Imperiali Aulico suscipiatur. In Camera verò Imperiali non potest discuti causa ad Revisionem delata nisi per *Visitatores* Cameræ, quales per seculum ferè Ordinarios Camera non vidit. Igitur prævalet hætenùs præsumptio pro sententia Camerali, ut executioni, præterquam si exinde præjudicium irreparabile oriretur, (de quo casu, aliisque exceptis, v. *Benderum, Rhodingium, &c.*) committi possit.

VEL ETIAM STNDICATUM.) Quod tamen remedium in *Camera*, licet proditum sit Ordinatione Camerali, ferè inauditum est.

CAPUT XII.

§. 3.

CAVALLIER oder Ritter-Banck. Dicitur Grafen oder Herren-Banck; & ad latus sinistrum Ritter / (quòd nomi-

nomine Equites & Nobiles veniunt,) und Gelehrte
Bancf.

§. 6.

COMMISSIONES.) Von Hof aus / sive cum voto, sive si-
ne voto. Cæterum Commissiones auf die Ordnung der
Austräge / si à Cæsare expetantur, non tantum concedi pos-
sunt, verum debent etiam; & per hos Commissarios *prima Au-*
stregarum instantia, à qua deinceps ad Cæsarem vel Cameram
provocatio obtinet, constituitur.

§. 7.

CAUSAE ITALICÆ.) Quoniam Camera Imperialis est fun-
data ad causas, quæ ad *Imperium Roman. Teutonice Nationis*
pertinent.

CONFIRMATIONES PRIVILEGIORUM.) Nam causæ, quæ
ad *Reservata Cæsaris* respiciunt, etiam *aulica* Jurisdictioni uni-
cè submittuntur.

CAUSÆ CRIMINALES.) Puta quæ ad genium Germ. *cri-*
minales dicuntur, die an Leib und Leben gehen. Nam hæ solùm
ad Aulam Cæsaris deferuntur, præter causam *Pacifragii*, super
qua non minus Camera fundata est.

d. §. 7. in fin.

De Avocatione vide not. ad cap X. §. 8.

§. 8

CAUSÆ SPIRITUALES.) Pertinent sanè eò vi *Maiestatis*
plena, quam Cæsar habet, & vi *Juris Sacrorum*: nisi quòd per
Pacem Religiosam certi *limites* huic Jurisdictioni ex conventio-
ne præfiniti sint; de quo *superiùs*. Cæterum *Protestantes* non
habent causas omnes pro *Spiritualibus*, quæ tales sunt ex hypo-
thesi *Pontificiorum*, ut sunt *Decimarum* & similes; quin & *Pa-*
tronatùs & *Advocatie* jura ap. Ipsos Pontificios per se causæ
spirituales non sunt. (v. c. XIII. §. 11.)

§. 12.

Eingriffe.) Abusus tantum coërcetur hōc articulō:
Nam de eō satis constat, quōd quamplurimæ causæ inter Sta-
tūs, cum primis potentiores, in Imperio agitatae, non protinūs
à Consilio Imp. Aulico decidi, sed priūs cum voto ad Cæsarem
referri, atque tunc in Consilio secretiori, num pronunciarī vel
taliter sententiam ferri, communi saluti Imperii & tranquillita-
ti adversum non fuerit, expendi soleat. Similiter in causis
Feudalibus, & Regalia Statuum concernentibus, aliisque ma-
joris momenti, etiam nullā lite super istis cum alio existente,
salthim ut ad Memorialia Resolutio dari possit, à Judicio Impe-
riali Aulico Vota ad Cæsarem decernuntur.

CONSILIUM PRINCIPUM.) Sed hoc ne quidem colorem
veri habet. Imò si Imperator, ad ductum *Instrumenti Pacis*, in
causis majoribus unum alterumve Electorem vel Principem
consultat, hæc quoque vota & consilia expendi solent in Con-
silio Secreto Cæsaris.

§. 13.

SED VIDE D. BARDILI.) Et sanè verius est, Jurisdictionem
Aulici Judicii nihilominūs *ordinariam* esse, quippe quæ non
tam extinguitur cum Cæsare, quàm suspensa cum Successore
continuat. Quin & Jurisdictio per Legem Ordinationis Au-
licæ Consilio Aulico injuncta, & vel hinc ordinaria & perpe-
tua est.

CAPUT XIII.

§. 4.

SED TOTUM IMPERIUM.) Quâ ratione Statūs Imperii con-
scurrant in constitutione Camerae, superius expositum est.
Utique *Jurisdictio* in solidum ad Cæsarem respicit. Quamvis
etiam

etiam Statûs concurrerent ratione aliâ; tamen cùm hi Cæsare inferiores sint, non possent conciliare *prærogativam* Camerae præ Judicio Aulico. Planè *prærogativa* *Judicii Aulici* non modò ob amplitudinem majorem Jurisdictionis, quam quidem Camera restrictam, Judicium Aulicum plenam habet, verùm etiam hinc fundata est, quoniam Spirensis Camera præcisè ad Processum, tam per Ordinationem, quàm per observantiam Judici, adstringitur. Judicium verò Aulicum, quòd propiùs Jurisdictionem Cæsaris exercet, à solennibus & tractu Processûs liberio rem habet potestatem, sicut experientia quotidiana testatur.

§. 8.

JUDICANDI FACULTATE INSTRUENDI.) Suprà dictum est, hanc potestatem ante constitutionem Camerae solius Cæsaris fuisse, nec ullibi adparet, quòd in consortium illius Statûs assumpti fuerint; licèt non potuerit non Cæsar ipsos adhibere in constituendo judicium & præsentandò Assessores, quippe quibus sumtûs ipsi Status suppeditant, quos unicè Judicio suo Aulico impendit Cæsar.

§. II.

SPIRITUALES.) Et tamen si de *facto*, item quoad *possessionem* de his controversia sit, desuper cognoscit Camera, cùm quidem in causis Cæsari *reservatis* non cognoscat, quamvis de *facto* vel *possessione* ageretur: veluti quoad cognitionem de Feudis Imperii, *superiùs* admonitum est.

SUMMA ORDINUM POTESTAS.) Imò placuit hoc per Legislationem Imperii, ne causæ *criminales* per *adpellationes* ad *suprema judicia* protraherentur; unde nec ad *Aulam Cæsaris* in hisce causis provocari potest: Quòd verò exhinc summa Potestas Statibus in territoriis suis afferi nequeat, inde patet, quoniam in causis hisce super *nullitate* ad *suprema* *Judicia* proceditur. Utique in territoriis ipsis Statuum non admittitur, ut

ne quidem à Senatu urbico, Nobili aut Praefecto Principis in criminalibus adpelletur.

CESSANTE AUSTREGARUM PRIVILEGIO.) Cessant enim Austregæ, quando vel (1.) Camera fundata est ratione causæ, vel (2.) nullatenus ratione causæ locum habet; ut in Spiritualibus, matrimonialibus, feudalibus: quia debet posse adpellari ab Austregis ad Cameram.

CAPUT XIV.

§. 3.

UT CAMERA.) Imò etiam hujus Jurisdictionem solius Cæsaris esse, superius ostensum est, quamvis *Ordinationem Camere*, seu Legem super eâ & Processu Camerali, Imperator cum consensu Statuum condiderit, & nunc etiam emendet, ut ex variis *Recessibus* insecutis constat. Interim hætenus magis esse Cæsaris dici potest Rothvvilense Judicium, quòd ejusdem Constitutio & Ordinatio, citrà adhibitionem Imperii Statuum, ab Ipso solo profecta sit, & nunc quoque pendeat.

§ 7.

VOLUNTARIÆ JURISDICTIONIS.) Equidem voluntariam Jurisdictionem non minùs habet *Camera Spirensis*, ut apparet ex Constitutionibus *Tutorum*, *Emancipationibus*, *Adoptionibus*. Quòd verò *legitimare* non possit Camera, ejus ratio est, quòd Legitimatio non sit actus Jurisdictionis, sed Majestatis & Reservati Imperatoris.

CONCURRERE NON FACILE DIXERIM.) Imò concurrere non potest, quoniam eò *adpellandum* est, ut ipse Auth. §. 9. b, adducit.

§. 14.

JUDICIUM VVESTPHALICUM.) De hoc Judicio oder Behm

Behm Gericht/ quasi separatim constitutō, egregia habet Schot-
telius in Libello von unterschiedlichen Rechten in Teutsch-
land / c. XXIX.

CAPUT XV.

§. 3.

VI JURISDICTIONIS TERRITORIALIS.) Cū verò hoc ipsum
jus ad Territorium præcisè non pertineat, nec jus territo-
riale dici possit, non magis quàm jus legitimandi cum similibus.
Ideò vix est, ut Statui Imperii illud tribui possit, cum effectu
Universalitatis per rotum Imperium; nisi hoc Ipse per observan-
tiam & tempus immemoriale, quod instar privilegii est, teneat.
Aliàs autem est Reservati Imperatorii.

§. 6.

DE IMMOBILIBUS.) Videl. is qui veniam ætatis habet, in
omnibus habetur pro Majorenni, præterquam in illis, qua de-
cretum magistratus requirunt.

NISI VEL PRINCEPS.) Quæ tamen exceptiones non solum
ad eum qui veniam ætatis obtinuit, sed ad minorem adeò quem-
libet, respiciunt, pariter atque illa, quæ nunc de ratihabitione
sequuntur.

§. 7.

NEGATIVAM.) Quoniam solum in propriis causis venia
hac uti potest, non in causis alienis. Unde nec præesse potest
officiis publicis ut majorennis; est verò tutela officium quasi
publicum.

CAPUT

CAPUT XVI.

§. 2.

CITRA JURIS AUCTORITATEM.) Cùm verò nulla sit infamia citra juris auctoritatem, ideò *infamia juris* dicenda est, quæ proficiscitur ex lege, quâ factum aliquod ad specialem infamiæ effectum notatur; sed *infamia facti*, quando existimatio alicujus ob facta probrosa minuitur, quæ in genere solùm, quamvis non ad effectum inferendæ infamiæ, per jura & leges improbantur: quale factum v. g. est dolus in contractu stricti juris, vel alio admissus, ob quem constitutum non est specialiter, quòd ejusd. reus infamiam subire teneatur.

UT PER TOTUM IMPERIUM.) Quòd si tamen fiat restitutio famæ à Principe v. c. in cujus territorio infamia reo irrogata est, non minùs hæc restitutio valet *vi Jurisdictionis Territorialis* per totum Imperium: imò Imperator eum, qui sententiã in territorio Statûs latã infamis factus est, non potest famæ restituere; (quia non potest *vi Capitulationis* irritam reddere seu turbare Jurisdictionem Statuum,) nisi ex magna causa superveniente. Secùs se habet in *maculâ* vel *notâ*, quæ ex natalibus damnatis, vel ex vilis officii seu ministerii genere, cuiquam inhaeret.

§. 8.

IN PRAXI.) Praxis illa non aliud intendit, quàm ut legitimatus jure legitimorum frui possit, *intrâ territorium Principis* dispensantis, & adversus subditos illius territorii: Nam extranei, seu non subditi, istò privilegiò seu *dispensatione* non ligantur.

§. 10.

QUI EX ADULTERIO.) Nam hos legitimari non posse constat: Quoniam non licet regredi ad concubitum, ut effectum

ctum matrimonii habuisse censeatur: neque junctus fuisse potuit legitimè adulter adulteræ, sicut nemo duabus uxoribus junctus esse potest.

§. 15.

JUDICI ECCL.) At v. hujus tantum est *absolutio*, non *relaxatio*.

CAP. XVII.

§. 9.

AFFIRMAMUS.) Et hæc tamen sententia sibi constare vix potest, cum non debeat mora debitoris nocere creditori, ex quâcunque causa dilatio illa solutionis oriatur: & facit sanè debitor, per extractionem rescripti, ut creditor frustretur. Foret etiam conditio creditoris, qui sub usuris dedit pecuniam, melior, quàm ejus qui simpliciter ad fidem debitoris respexit, cujus non tanta lucri cupido esse videtur; quin potius de damno vitando certat: ut verius sit ab interpellatione, vel die à qua præstari debuit creditum, non minùs usuras aliquando creditori finitò rescriptò adjudicandas esse.

§. 13.

VICARII IDEM JUS.) De quo dubitare licet, quoniam concessio hæc ad vim Imperii non pertinet, moram quoque patitur, nec præjudicium ejus vel exemplum ullum ostendi potest.

NON SIT DE NECESSITATE.) Absolutà videlicet. Aliquando enim unius ex vicinis alteriusve interesse potest; secùs requirere debet Cæsar & explorare, aut percipere querelas, in hoc quoque jure concedendo, aliorum, quorum interest, sicut in impertiendis privilegiis cæteris.

G

§. 18.

§. 18.

VI SUPERIORIT. TERRIT.) Quòd si tamen nundinæ ejusmodi, veluti animalium, privilegiatæ fuerint *simul à Cæsare*, tunc iisd. nemo alius territorii vicini Dominus præjudicare, per nundinas similes in suo territorio, tempore quod prioribus istis præjudicio fuerat, potest. Et hæc ratione *Electoꝝ Saxonie* quicquam tentare nequit in suo territorio, ex quo præjudicium nundinis *Budstadiensibus*, à Cæsare privilegiatis, inferri queat.

ETIAM SINE SPECIALI SUPERIORIS CONCESSIONE.) Videl. tempore *immemoriali*, quod est instar privilegii: Nam aliàs concessione superioris omninò indigent. Plerumque tamen ex usu Civitatis suæ certas *Ordinationes*, *Marck Ordnungen* / conficere illis integrum est.

CAPUT XIIX.

§. 4.

VI COMPET. IPSIS SUPERIORIT. TERRIT.) Cùm v. *Superioritas territorialis* non nisi ea contineat, quæ ad imperium in territorio pertinent, quæque ab antiquo vel in genere eò referuntur, vel in specie ab uno alterove territorii Domino, sub complexu jurium territorii, acquisita sunt: Idèò non oportet, ultra hæc vel communia vel specialiter acquisita jura, Superioritatem habere, pro *Universalitate omnium facultatum juriumve*, quibus uti qualibet ratione in suo territorio licet, nisi quid *expressè abhinc exemptum esse reperiatur*. Potius cùm Superioritas penitùs à Cæsare & Imperio dependeat, securior est & melior sententia, quæ Statibus istò nomine non tribuit, nisi ea, quæ ipsis concessa esse adparet, reliqua v. pro *Reservatis Cæsareæ Maj.* habeantur.

PRO STATIBUS ALLEGARI POTEST.) Regula *Lampadii* firma est, si modò per Legem Imperii intelligatur usus quoque & observantia Imperialis: Argumenta pro Statibus nulla sunt: Nam (1.) *jus Angariarum* nil ferè cum *Postis* affine habet, quoniam subditorum operas, (*Frohnen*) denotat. (2.) Si illa omnia ad Statùs respicerent, quæ ad pacem bellumque, nec non ad commercia, pertinent, multa exinde Statu publico & juribus adversa inferrentur.

R. I. DE ANNO 1542.) Loquitur de *Posta*, quæ militiæ Imperii ad tempus subsidio futura erat, Imperii & sic universali nomine instituenda.

IN DITIONIBUS HAEREDITARIIS.) Non sequitur, Cæsar in suis ditionibus usu immemoriali & privilegiò postas speciales habet, E. postas habendi facultas competit Statibus vi Superioritatis territorialis. Quid quòd etiam *Postæ* in Ditionibus illis porrigantur ad Regnum Bohemiæ cum incorporatis, quod quam sepositum sit à territoriis Principum Germaniæ satis constat.

NEQUE CONSUETUDINE.) Si quis Princeps à tempore immemoriali Jus postarum acquisivisset, retineat id utique Idem in posterum. Hoc duntaxat asserendum est, postquam Generalis Postarum Magister, cum ministris hinc inde in Imperio dispositis, indignè Status habuerit, Statuumque Correspondentia, ob deperditas sæpè vel detentas literas, vix tuta fuerit. Ideò Cæsarem salvâ æquitate non posse eò Status, cum primis potentiores, (quorum magna correspondentia intrà & extrà Imperium, rebus sic stantibus, citra *Postam* specialem sustineri vix potest,) adigere, ut ad Generalem Postarum Magistrum, ejusque famulitium unicè respiciant, cum primis cum nec dum post tot querelas abusûs illi cessent. Neque tamen generalis illa postarum constitutio per speciales Principum desitura esse videtur: cuius si periculum immineat, Statùs per deliberationem Comitalem,

tialem, ut negotio huic aliter pro re Imperii consulatur, haud dubiè prospecturi sunt.

CAPUT XIX.

§. 1.

JUS PROPONENDI.) Vel potiùs *directio integra Comitiorum*, quæ ad plura deinceps porrigitur.

CAP. XX.

§. 1.

COMMUNICATA.) Repetendum est ex superioribus, quòd minùs rectè *Reservatis* Cæsaris opponantur jura communicata, nisi quòd *super exercitio eorum* Cæsar cum Electoribus & Statibus *communicet*.

§. 3.

INSTITUERE POSSIT.) Minùs aptè res exponitur. Nec etiam ad Cæsaris Reservata, (ratione consensûs Statuum,) jus concedendi vectigalis pertinet, quin potiùs *Reservatum* dicitur, quòd Cæsar non transferat Jus vectigalis exigendi ad Statûs cum Superioritate territoriali, simili sensu, quò jus *audendi monetam* Reservati nomine venit.

§. 8. in f.

A CAROLO IV. OPPIGNORATA.) *vid. tamen Diff. Schurzfleischii de Carolo IV. Dissipatore.*

CAPUT

CAPUT XXI.

§. I.

BANNI PARTICULARIS.) Territorialis, quod simpliciter dicimus die Acht. Obtinet v. der Achts Proceß in quibusdam provinciis Germaniæ, contra fugitivos criminis capitalis reos. Effectus est, quod pro convictis habentur, nisi compareant, & bona ipsorum omnia confiscentur, etiam feudalia: ut tamen inde uxori illata sua restituantur, seu portio dimittatur Statutaria, nec non Legitima liberis. Differt ab hoc Processus *Edictalis* Citationis, cujus effectus est, ut non minus pro convicto habeatur emanens, & tantum si quid bonorum ad ipsum pertineat, vel unquam ex territorio illo pertinere possit, detineatur, atque penes successores ejus ab intestato relinquatur.

CENSURA.) Vox illa refertur rectius ad coërcitiones *Canonicas*, qualis est Excommunicatio, suspensio, interdictum.

Acht und Ober Acht.) Solet quoque in Territoriis Principum, si quis à sententia Banni intra annum se non liberaverit, confirmari eadem, & tunc reo indici die *Ober Acht* / quæ demum effectus omnes seu executionem intentati banni sortitur. Equidem in *Ducatibus* hisce *Saxon.*, ex peculiari Principum Rescripto, solet zugleich & unâ sententiâ erkannt zu werden die Acht und Ober Acht / tantum quod effectus Banni ulterioris nihilomin. superveniant.

§. 2. in f.

Sententia *Limnei* procedit in quolibet aliò, juxta *Ordinationem Cam.* in Bannum declarando, qui non est Status Imperii. Nam Statum Imperii ne à Camera quidem in Bannum declarari posse, nisi postquam res ad *Cæsarem* relata fuerit, is-

que, requisitò *Electorum* Consiliò, sententiam Camerae probaverit, omninò rectius asseritur. Planè si *Comitia* extiterint, ne quidem *Electorum* consensus sufficiet, verùm *Status quoque ceteri*, tanquam in re, quæ ad motus & bella respiciat, requirendi sunt: idque sive *Camera* sive *Aula Imp.* Bannum reo intentet. Interim tota vis Banni ad *Jurisdictionem Cæsaream* referenda est, nec ad *Jus Bellum decernendi* pertinet.

§. 6. in f.

NON V. QUAE JURIS GENTIUM.) Imò & hæc amittit, inque eo deterior est Bannitorum quàm *Deportatorum* conditio, ut *ad π* explicatum est.

§. 7. in fine.

Et sanè cùm *Aggratiatio* omnis penes *Cæsarem* ex usu Imperii resideat, ideò in posterum quoque eandem adversus Bannum reservari expedit. *vid. Stamler. de Reservatis Imperat.*

CAPUT XXIII.

§. 2.

A LIENARE POTUISSE.) Quæ sententia verior est, cùm & ante *Capitulationes* formales Imperator quicquam majoris momenti suscipere & cum effectu non potuerit, nisi consensu *Procerum*, saltim præcipuorum, adhibitò.

§. 5. in f.

Jungi hîc meretur *Strauchius Diss. de Oppign. Bonorum Imperii*, ubi ostendit, oppignorationes, superioribus seculis usurpatis in Imperio, non posse exigi ad naturam hypothecarum simplicium, sed referre conditionem *fiduciarii pignoris*, ex pristino *Jure Romano*, quod cum translatione quâdam proprietatis conjunctum fuerat. Et hinc procedere ex parte, quòd oppigno-

pignorationes ejusmodi nunc quidem pro talibus habeantur, quæ nullâ *restitutione* tolli vel aboleri possint.

§. 9.

DISTINGVUNT SCHÜZIUS, STAMLERUS.) Quod distinctionem *Schüzii* attinet, illa non ferit statum controversiæ. Videl. Imperator non potest absque Electoribus *Bannò* percutere Electorem, ut vacet Electoratus: postquam verò vacantia legitime inducta est, nullum esse discrimen videtur in refarciendo defectu Electoratûs; sed utrobique, seu per familiam seu per delictum deficiat, constitutio novi Electoris pertinere ad *Cæsarem*: non aliter atque ad ipsum respicit *Jus* quem constituendi *Statum Imperii*, tantum ut *receptio* Electoris ejusmodi fieri debeat, prærequisito consensu & placitò Collegii Electoralis, si fortassis causa gravis fuerit, ob quam is quem Cæsar loco destinavit, in eundem recipi non possit.

CAPUT XXV.

Quamvis jura pleraque Cæsaris, quorum exercitium suscipere potest *Electoribus solis* adscitis, ita comparata sint, ut si modò Comititia extiterint, etiam desuper consensum & consilium *cæterorum Statuum* exquirat. Tamen non vicissim jura, quæ eximiè *Comititalia*, sive in Comititiis exercenda esse, dicuntur, neglectis Statibus cæteris, Cæsar, assumptis tantum Electoribus, extrâ Comititia, exercere potest. Tale est v.g. *Jus Leges universales* condendi: quibus non rectè accensetur *Cæsarea Capitulatio*, siquidem hæc solùm Legem fundamentalem conficit, quæ ad instar *pacti* Cæsarem constringat; ipsis verò subditis vel *parentibus* in Imperio non fertur, nec adeò propriè & formaliter nomen *Legis* sustinet.

§. I.

§. 1.

EX LL. ROMANIS.) Licèt verò indoles *Regni Germanici*, postquam huic Rom. Imperium unitum est, adhuc dum vigeat, suâque Libertate Regnum istud gavisum in hunc usque diem fuerit; tamen per hoc solùm *Monarchia* Imperii in *modò exercitii* temperata est, & mixta Principatui Libertas, adeò ut effectus Majestatis ubique ad Cæsarem referatur, & hæctenus *Leges Romanae* etiamnum valeant. *vid. l. 8. C. de Legib.*

§. 2.

Unser und gemeiner Stände Abschied.) Rectè dicuntur Abschiede der Stände / respectu habitò ad *conventionem* in eandem sententiam, cui deinde *vim Legis* tribuit Cæsar. *vid. l. 1. ff. d. Legib. ibi: communis Reipublicæ sponso. &c.* Quòd verò quoad *Regimentum*, ut & *contributiones*, alicubi Statuum concurrentium singularis fiat mentio, illud vel simili modò conventionis antecedaneæ accipiendam, vel etiam quoniam istud ad novum onus sustentationis Regimenti, item contributionis insolitæ & extraordinariæ, pertinet, magis conventionem constitui, quàm Legis formam præferre, censendum est, ut adeò regulam Legislationis non infringat. Utiq; recentior *Instrumenti Pacis* dispositio non aliud tribuit Statibus, circa jura Majestatis, in *art. 8.* designatis, quàm *jus suffragii*.

INTERPRETATION der Reichs-Satzungen.) *Interpretatio* quæ legislativa est, h. e. quæ sententiam Legis certam, si emendanda fuerit, invertere conetur, ad *Cæsarem* pertinet, non nisi eò modò adhibitò, quò uti necesse habet *in Lege* noviter condenda. Quæ verò interpretatio *Jurisdictionis & judiciaria* est, illa ad Cæsarem ex *Reservato* spectat. Nec tamen facilè in casu maximè dubiò, licèt inter Statùs, ad eam progredi debet circa *Instrum. Pacis*, quoniam ibi Cæsar sapiùs etiam quàm talis, seu quàm Imperium tenet, ut *pars* consideratur, dum nempè. Imperium

rium in satisfactionem uni vel alteri Statuum, imò integro ordini, spondit. Unde fieri non potest, salvâ æquitate, ut pars altera contrahentium sibi potestatem conventionis interpretandæ sumat.

§. 3.

Ad hunc §. observandum est, quòd textus, qui urgere videntur præ cæteris, ad negotium *Religionis* pertineant.

§. 4.

NON ALIAM POTESTATEM.) Hoc omninò rationi *Comitiorum* penitus adversum est: Nam modus ille *conventionis*, da der Kaysar mit denen Ständen sich eines gewissen vergleicht / antecedit tantum Legislationem, eamque præparat; ipsa verò insequens Legislatio, cui conventio illa *materiam* præbet, quoad *formam* suam tota & solius Cæsaris est: juxta formulam: Hierauf gebieten wir allen und jeden / Churfürsten / Fürsten / und Ständen / und Ihren Unterthanen.

§. 12.

Equidem jus *Statuum constituendi* est de *Reservatis* Cæsaris; sed ut *recipiatur* & exercitiò *Status* gaudeat, super eo requiritur Collegium, cui *Status* ille novus inferendus est; cum primis quoad sessionem, ut & inquisitionem in requisita debita, circa quæ subinde Cæsar *dispensare* solet.

CAPUT XXVI.

§. 2.

Quoniam *Bella* geruntur non nisi viribus & *potentiâ* *Reipublicæ*: Imperium verò nostrum patrimonio destitutum sit. Hinc potentia quidem belli penes *Status* & Cæsarem, quæ *Status* est, residet: Indeque possunt dici *subjectum commune* *Majestatis Imperii* sustinere. Nec tamen quod *potestatem* ipsam

H

seu

seu jus majestatis attinet, Cæsar propterea subjectum ejus *proprium* esse desinit, cum nullibi potestas illa bella decernendi & gerendi eidem adempta esse reperiatur.

§. 6. *in f.*

Præ cæteris non tantum *metatorum* der *Einquartirung* / sed & *munerum* quorumvis Jura explicuit *Tabor de Metatis*.

§. 8.

NUNC IN INSTR. PAC.) Neque tamen per hoc aliud intenditur, quam quod *Comitia* debeant haberi *vor ein ordentliches Mittel* ad Contributiones præstandas. Quod si enim necessitas subita ingruat, adhuc *circulativ* circulos requiri posse, satis ex *Capitulationibus* *seqq.* colligitur.

§. 9.

SI VERA EST.) Imò supposititiam esse, ad *Bæclerum* ostensum est.

§. 13.

USUFRUCTUARIO.) Et tamen diversa longè conditio est *usufructuarii* & *mariti*, quam *creditoris pignoratitii*; hic enim quoniam rem tenet cum onere, pro sorte debitori creditus. Hinc ut *Collectas* solvat, & imminutionem usurarum vel sortis patiatur, æquitati repugnat.

CAPUT. XXVII.

§. 7.

LIBERTATIS FAVORE.) At verò jus illud pertinet ad *Potentatum* Principum in Imperio, quò ad instar Regum habentur, quoad *exteros*; sic tamen ut *Suprematum* inde *Fürstnerius* minùs rectè inferat. Siquidem jura illa non absoluta sunt, sed modificata, & per fidem, quâ Imperio addicti sunt Statùs, *restricta*: ut ubique salvâ illâ, & non aliter, foedera sua ipsos consti-

constituere oporteat. Hinc Libertas ipsorum major dici non potest, quàm ea, quâ *Imperator* ratione Imperii gaudet: Obligatio enim Imperatoris, quâ consensum Statuum adhibere tenetur, non ingreditur *substantiam* illius juris, sed solum modum concernit, multò minùs *dependentiam* aliquam innuit. Restrictio verò *Potentatùs* Statuum ad *subjectionem* pertinet, atque *fidem homagiale*m, quâ dependenter Imperatori & Imperio devincti sunt.

CAPUT XXIIII.

§. 2. in f. §. 5. in f.

Equidem si *Statùs* mittant ad *Cæsarem Legatos* illi securitatem non habent ex *Jure Gentium*, sed ex *Jure Civili*, aut ex *Capitulatione Cæsareâ*; nisi verò *Legatio* illa ad *Cæsarem* ut *partem* dirigatur, als einen hohen *Würten*. Sic enim fruitur *charactere mediò Potentatùs*.

CAPUT XXIX.

§. 3.

AFFIRMANT.) Verior est sententia, quòd *ius fortalitia exstruendi* in suo *Territorio Statùs* non habeant sine *concessione Cæsaris*, adeò ut si quis fortalitium aliquod exstruat, *concessione illâ non impetratâ*, censendum sit saltim *tacitè Imperatorem annuere*, eò quòd *exstructio illa non fiat in præjudicium Imperii aut Constatùs*, nec ad *emulationem & molestiam* cujuscumque, sed pro *necessitate defensionis subditorum*. Quòd si enim horum unum alterumve in *controversiam* trahatur, *interdicere munimento posse Cæsarem*, *exempla plura* probant. Nil facit pro *Auctore R. U. d. anno 1557.* nam ibi *prohibi-*

rum est specialiter, quod jam ante regulariter vetitum fuerat, id quod sæpius in LLationibus accidit. Imò prohibitio illa absoluta esse videtur, quòd licet reipsà *die Wiederaufrichtung der Festung Grimmenstein* / non posset videri in præjudicium ullius tendere; tamen priusquam reparatio illa susciperetur, Imperatoris consensus antea requiri debeat. *Argumentum secundum* Auctori adversum est, & præterea videtur ibi decidere Imperator, quòd nemo debeat Regno Sveciæ contradicere, si munimenta in illis locis erecturum sit, quasi jam causâ satis cognitâ. *Tertium argumentum* supponit circumstantias munimenti innoxii, & ex quo nemini præjudicium nasci potest.

CAPUT XXX.

§. 3.

VICARII IMPERII.) Quod tamen cum speciali lege *Vicariis* concessum esse non reperiatur, dubium inde capit, quoniam ejus rei nullum extat *exemplum*, sibi que Electores *Collegiatim vi Unionis Electoralis*, *der Churfürstlichen Verein* / durante *Interregno*, curam Imperii Universalem vindicant: Vicarios autem illa jura, quæ Ipsi vel lege vel observantiâ concedita sunt, divisim habere constat: saltem non adparet, quâ ratione jure indicendi comitia fungi possint, repugnante cum primis *Unione Electorum*, quâ & Ipsi continentur.

§. II.

NEGAT BOECLERUS.) Nam Ille partes Electorales fovet, (cum his qui altiùs repetunt *Distinctionem Collegiorum*, à tempore scilicet immemoriali,) *Electori Moguntino* Ejusque ministris, dum viveret, addictus.

§. 17.

§. 17.

Reichs Gutachten.) Alii adpellant *Placitum Comitiale*, ut *Kulpis* integrâ differt. Posses etiam adpellare *Consultum Comitiale*.

SI STATUS SUO JURI RENUNCIENT.) Imò non pendet interpositio illa *Plenitudinis Potestatis*, à *renunciatione* seu resignatione Statuum, quod vel ipse textus h. adductus innuit: ubi non tantùm dicitur simpliciter, daß der Kånser sein Ambt interponiren könne; sed etiam daß er auff eines oder des andern der wiederigen Theile Meinung nicht zuwarten habe. Quamvis itaque difficile sit, ut Cæsar ad *Plenitudinem* hanc procedat; posse tamen ipsum jure suo & eadem vi *Majestatis* uti, si Imperio expediat, & res exitum invenire possit, vera magis est sententia. Nam hîc cum quæstione juris quæstio consilii jungi debet, ita ut licet possit Imperator in casibus ejusmodi perplexis *Potestatis plenitudine* uti, non tamen semper & ubique debeat.

MERITO ABSTINENT.) Imò abstinere non possunt nec debent, quoniam illa formula exprimit rationes Comitiorum, nec respicit vota eorumque pluralitatem, sed rationem conventionis, & exitum negotii. Neque enim Imperator votum ullum habet quâ talis in Comitiiis, sed vota omnia sunt Statuum, ad hoc ut per illa *consultum* Cæsari offerendum conficiatur. Quoniam itaque *Status* non habent vim ferendæ Legis, ideò his consultis nil efficere possunt, si Cæsari eadem non probentur. Vicissim cum *Cæsar* non utatur voluntate suâ pro imperio: ideò nec ipse eandem in vim Legis deducere potest, Comitiiis seu Statibus universis repugnantibus; potest autem quandoque, si Status in unam sententiam convenire nequeant, autoritatem suam pro una alterave parte interponere. Exhinc facile adparet, quò tendat formula illa, quòd Cæsar *Sernissim Comitio-*

rum habeat unum, Statûs alterum: Et quòd ad *majoritatem* *votorum*, ne quidem à parte Statuum, respiciatur.

§. 18.

NUM EX NUMERO VEL RATIONE.) Auctor putat ex *numero* æstimandum esse: Et sanè omnium Gentium jure in Collegiis & Corporibus sic servatur, ut illud rationi conveniens & præponderare putetur, quod à majori parte electum est. *vid.* Bœcl. *in Calculo Minervæ.* Prasch. *de jure majoris partis.* & *al.* Quamvis verò in Collegiis Comitiorum Germaniæ distinctis, v. c. in Collegio Civitatum, conficiantur conclusa seu placita *cujuslibet Collegii* ex majori votantium seu consentientium numero; tamen quoad æstimationem internam, ex parte Cæsaris, & *efficaciam*, maximè in Collegio Principum, solet attendi ad potentiam magis atque vires repugnantium, licèt numeri minoris. Imò quod ad *totum complexum* trium Collegiorum attinet, utut maximè civitates universæ non nisi duo vota conficiant, quæ si comparentur cum votis Principum, vel vicesies superari possunt, cùm quilibet Principum votum suum viritum edat; nihilominus quoad internam æstimationem, & ad conficiendum negotium, duo vota illa Civitatum, modò rationibus instructa sint validioribus, adeò considerantur, ut convenientibus licèt Collegiis superioribus Electorum & Principum, Cæsar conclusum Civitatum non simpliciter negligat, sed eò usque allaboret, ut collegia, quantum fieri potest, in unum datò & remissò conscendant: etiam in causis aliis, quàm quæ Religionis vel Contributionum sint, aut naturæ similis; puta in quibus pro Religione Statûs in duas partes plerumque abeunt, aut in quibus non universi, sed singuli considerantur: quod posterius in materia collectarum accidit.

CAPUT

CAPUT XXXII.

§. 4.

STATUS POTIUS PRO IMPERANTIBUS.) Huic sententiæ jam superius contradictum est justis rationibus, & *Lampadius* merito remissionem subjectionis in Resignatione Cæsaris requirit, imò hanc remissionem expressè innuunt verba resignationis *Carolina*.

§. 6.

ADOLPHUS NASSOVIUS.) At verò *Adolphus Nass.* Imperium non deposuit, nisi cum anima.

§. II. in fin.

Et hæc sententia præ cæteris eligenda est, si casus ubi Imperantem deponi necesse sit, extiterit. Cujus tamen tot *requisita* supponi debent, ut vix dabilis esse videatur.

CAPUT XXXIII.

§. 2.

AN UNIVERSALIBUS SUBSTITUTI.) Quoniam Vicarii universales ad Imperium. Germ. *Das R. Reich Teutscher Nation*, pertinent: Ideò Vicarii in *Italiâ* iisdem non subsunt; quin & illi *Vicariatum perpetuum* habent eò ferè sensu, quò Statuum quemlibet in Imperio Germ. posses dicere *vices* Imperatoris in suo territorio tenere.

§. 7.

IN AULA SUA.) Cùm verò causæ præteritæ, seu quæ jam in Aula Cæsaris, eò superstitæ, agitæ fuerunt, penitùs quiescant, occlusis videl. actis & sepositis in Aulâ Cæsareâ, quoad usque Imperator novus electus fuerit: Ideò Judicia illa Aulica Vicariorum causas tantùm *novas* recipere poterunt.

ETIAM

ETIAM CRIMINALES.) Non videtur, causas Cæsari *reser-*
uatas ad Vicarios eorumque cognitionem pertinere, adeoque
causas *criminales & feudales* judicia Vicariorum atrectare non
posse, tutior veriorque est sententia.

PART. SPECIALIS SECT. II. CAP. I.

§. 1.

QUOD CONCEDI POTEST.) Rectius abstinemus quâli-
bet aliâ expressione quàm Status, quippe quæ Rei-
publicæ nostræ unicè congruit, nec quid Aristocrati-
cum exprimit, ut nec participationem Majestatis aut
Imperii consortium.

§. 2.

RATIONE BONORUM.) Et tamen licet in posterum nemo
recipiatur in Statum Imperii, nisi qui bonis immediatis instru-
ctus est, aut donec instruatur, einen *Standmäßigen Anschlag*
übernimmt; tamen olim *Saxones & Hassi* aliique, quorum terri-
torii *Landsassatus* asseritur, non incongruum esse censent,
quod aliquis possit esse quoad bona mediatus, extrâ quæ non alia
immediata possideat, & tamen non eò minùs Sessionem & vo-
tum habeat in Comitibus. Utique Status plures in ditionibus *Au-*
striacis reperiuntur, qui nil habent territorii immediati. Et
hi sicuti contribuunt *Archi-Ducibus*, & simul etiam contri-
buunt Imperio; ita *Saxones* volunt contribuere debere hos,
qui Status Imperii sunt & in territorio Saxonico bona habent,
in Territorio Saxonico, *Quotam suam matricularem, zu der*
Landschaffts-Cassa / ut exinde illa mit dem *Sächs. Anschlag*
Imperii arario inferatur. Sed hic ad observantiam meritò,
donec

donec aliud in petitorio decernatur, respiciendum est. Num vero Statûs illi, v. c. *Austriaci*, ratione *persona* possint haberi pro immediatis, vix est ut asseri queat, cum quidem in Territoriis Austriacis nil habeant Superioritatis territorialis, & si respicias Libertatem citra respectum territorii, habeantur quidem digniùs ob characterem Statûs Imperii, quàm cæteri Landsassii: Interim tamen imperari illis possit in omnibus & per omnia: In Comitibus v. Immedietatis effectus nullus adpareat, & vota quoque quibus gaudent in Comitibus, ne quidem libera, sed potiùs addicta maximè sint Domui Austriacæ, cui cum terris suis subjiciuntur,

§. 2.

NON MODO RATIONE PERSONARUM, SED ETIAM BONORUM.) Equidem distinctio in immediatos & mediatos *personarum* est, cum possit esse mediatas, qui nil bonorum habet sub alicujus territorio, sicut infiniti Statuum subditi. Interim si quis bona mediata habeat, licèt Status Imperii sit, etiam bonorum qualitas efficit, ut *persona* domino bonorum ejusmodi mediatorum subjiciatur, id quod frequentissimum est in *Comitibus*, & hi qui conditionis inferioris sunt.

d §. 2.

NON OBST. INST. PAC. ART. 16. §. 14.) Statûs vox ibidem accipitur pro *membro*. Potest enim ex privilegio vel observantiâ civitati v. c. mediatae seu provinciali competere *jus presidii*: Eòdem sensu accipitur §. 180. R. J. d. anno 1654. quia potest executio intentari nomine Imperii etiam adversus mediatum *einen mittelbaren Stand* / h. e. membrum Imperii.

eòd. §. 2. in f.

Equidem plura reperiuntur exempla *Comitum*, qui bona etiam *mediata* habent, *Principum* non facilè; nisi fortassis re-

centiorum. Nam *Vasallagii* conditio, quã ferè omnes in Imperio etiam Principes, aliis Constatibus suis quoad ditiones, vel jura quãdam tenentur, medietatem non inducit. Interim quoad hæc, quæ *libertatis* sunt & prærogativæ personalis, ubique respicimus ad conditionem Comitum ejusmodi, quatenus immediatus & *Status* Imperii est: Ita tamen ut quæ statum ejus non concernunt, sed ad jura rerum pertinent, licet personalia sint, ut credita & debita, in illis locis, ubi mediata bona habent, Jurisdictioni subesse cogantur; saltem ut sententiæ pro modo terrarum & jurium, quæ ibi habent executioni dentur; nisi etiam ratione eorum, quæ ad jus rerum pertinent, specialem exemptionem obtinuerint: cujus exemplum est inter alia in *Duce Holsatia zu Wiesenburg* / cui exemptionem in personalibus, und so das Amt Wiesenburg nicht angehen / ob Dignitatem eminentem Ducalem, indulgit *Electo Saxonie*.

§. 3.

SUPERIORITATE TERRARUM GAUDENTES.) Quia Superioritas terrarum non nisi *consecutivum* Status est, nec actu omnibus competit, nec competit *olim*, ubi nondum Superioritas introducta fuerat, his, qui sessionem & votum in Comitibus Germaniæ habebant; imò nec hodiè *per se* jus Comitiorum ex Superioritate educitur, sicut in *Dissert. de Superiorit. territ.* ostensum est. Ideò rectius à definitione Status Imperii jus illud Superioritatis petitar. Non enim debent definitioni inseri *requisita zur Reichsstandschafft*: Siquidem hæc solùm *conditiones sine quibus non conficiunt*, ratio autem *formalis der Reichsstandschafft* unicè in sessione & suffragio Comitiali consistit.

§. 4.

NON SOLUS HABET IMPERATOR.) Imò habet solus: Quòd enim requirere teneatur ad hoc, ut effectu gaudeat, Candidatus

tus in Collegio aliquo Comitiali, consensum illius Collegii Statuum: illud ob præjudicia varia quæ subesse possunt, æquitati consentaneum est, & ad conditiones sine quibus non, seu requisita, pertinet, quæ ipsam Constitutionem rei non ingrediuntur.

§. 6.

PRÆSUMPTIONEM INDUCET, NON ARGUMENTUM) Quamvis enim *Matricula* sit instrumentum publicum; tamen in alium finem confectum non est, nisi ut inde constaret, quidnam Imperio hætenus, sive Statûs sive alii potentiores, contulerint. Igitur ad probandum hoc solum, non etiam ad probandam conditionem Statûs induci potest. Nunc quidem nemo matriculæ inseritur, nisi qui Status est. Et tamen ne sic quidem matricula Statum *conficit*, postquam is in eam tunc demum recipitur, qui jam Status Imperii est, idque non ob conditionem Statûs, sed *Statûs contribuentis*: nam *Nobiles* quidem *immediati*, qui & ipsi Imperio contribuunt, matriculæ Imperiali non inferuntur.

§. 7.

IN QUATERNIONES.) Fundamentum *legale* non habet hæc distributio, sed tantum illis qui ab antiquo Quaternionibus illis inserti esse reperiuntur, singularem splendorem præ cæteris sui ordinis conciliat, cui servando non immeritò axiomate illò hodiernum utuntur. Quæ enim in *Recessibus* Imperii aliisque *Documentis* vestigia ein und anderer solcher *Bierdungen* reperiuntur, illa tantum historica & narrativa, non dispositiva sunt: ut multa eorum, quæ per traditionem ad nos pervenerunt.

§. 14.

QUI JURE SUPREMATUS.) Quia bella, foedera, legationes,

nes, quibus gaudent potentes Statûs Imperii, imò etiam Corpus Nobilium immediatorum, ubique ad subjectionem & fidem Imperio debitam respiciunt, nec absoluta sunt: Hinc non rectè ex iisdem jus *suprematus* extruitur. Et tamen cum fatendum sit, *speciem* habere potentes illos *supremorum*: inde jus illud *peculiare*, quod à jure *Libertatis & Superioritatis* discernendum est, enascitur, quod congruâ magis adpellatione *Potentatus* dici potest: quò jure quilibet gaudent *immediati* in Imperio, in actu primo; licèt omnes, ex defectu virium præsentium, in actu secundo eòdem frui non possint. Illud constat, quòd sicut *jus belli* in rigore & accuratè dici non potest, quod Statûs Imperii exercent adversus externos, vel unà cum illis; ita vis illa bellica, quâ utuntur ut Domini territoriorum, *Jus armorum*, rectiùs adpelleretur.

CAPUT II.

§. 2.

AD CAROLUM IV. ILLIUS INITIA.) Initium *Collegii Electoralis* ostendi non potest, ceu nec aliorum, quæ *sensim* incrementa sua sumserunt. Equidem sub pluribus Cæsaribus successivè circa *Electionem & Officiarios* præcipuos Imperii, qui postmodum nomen *formale* Electorum sortiti sunt, tentata quædam fuisse satis constat, nec tamen de *Collegio Electorali* majori cum successu cogitatum fuit, quàm in *Concilio Lugdunensi*, tempore *Friderici II.*, ubi rem valdè promovit Pontifex *Innocentius IV.* licèt ille Archiepiscopum *Salisburgensem* & Ducem *Austriae*, inter Electores numerandos voluerit. Posthac prævalentibus illis, qui in *Concilio* illo negotio huic à parte Imperii destinati fuerant, quales sunt *moderni* Electores, variè in *Electio-*nibus actum est, saltim non penitus exclusi abinde fuère *Principes cateri*: adeò ut in ipsa *Caroli IV.* *Electione*, vota sua aliqui

qui ex Ordine *Principum* dederint. *Quocirca* robur & firmamentum Collegii Electoralis *sanctioni Carolina*, cui acquiescere deinceps Statûs Imperii cæteri, omninò tribuendum est.

§. 10. n. 18.

IN EOS CRIMEN LÆSÆ MAJESTATIS.) *Rectius in ipsis subjective*: respectu habitò ad Cæsarem, *vid. A. B. Tit. 24. §. 1. ibi: nam & ipsi pars corporis nostri sunt. &c. non efficienter*, cum ipsi Majestatem non habeant. Igitur committitur in ipsis adversus Cæsarem. Reliquos *Principes* quod attinet, adversus illos committitur crimen tantum Majestatis *analogum*, atque hinc non habet effectûs criminis majestatis: nec enim memoria rei post mortem damnatur, nec bona ejus confiscantur; sed vel capite pœnam luit unicè, vel pœnâ coercetur, pecuniariâ: Et si *Feuda* habeat, illa ex capite *felonia* domino directo aperiuntur.

CAPUT III.

§. 2. in f.

OFFICIA Archi-Cancellariorum non respiciunt præcisè jura unius alteriusvè Regni, puta *Italia*, *Gallia Belgicæ*, (ut exponere Galliam solent,) & ejus quod ex *Arelatensi* Regno superest, sive ex hinc Imperio debetur; verum *expeditiones quascunque* in unò alteròve Regno suscipiendas, ut easdem universas in *Germaniâ* curet Moguntinus, in *Italiâ* Coloniensis: ceu superius admonitum est.

§. 3.

NEC UT ARCHICANCELLARIIS.) *Quamvis diffitendum non sit*, Electoribus Ecclesiasticis æquè *munus hoc præcipuum*, in Imperiò viam parâsse, ad facultatem eligendi Imperatoris,

sicut Electoribus Secularibus *Officia* ipsorum hereditaria.

§. 4.

AC IMPERIUM ET ECCLESIA.) Imò Imperator dicitur *Filius* Ecclesiæ *primogenitus*. Huic proximi sunt Electores Ecclesiastici, tanquam *Nepotes*; remotiores in latere Electores seculares, & hinc *Cognati*.

§. 7.

LAMPAD. p. 3, c. 4. n. 14.) Ubi rationem formalem & genuinum fundamentum *Primogenitura*; (quòd scilicet istud nec *Representatione* nec *transmissione* nitatur,) exponit.

CAPUT V.

§. 4.

MEMBRUM AC STATUS IMPERII.) Membrum quidem est, sed non *Status Imperii*. Et licet *Circulo* nulli addictus sit, tamen Imperio non modò *Vasallagium*, sed & *subjectionem* debet: ejusque *Constitutiones* quæ *generalem dispositionem* Imperii continent, agnoscit, ut ex *causis fractæ pacis* & *similibus* constat. *Indeque Jurisdictioni* ejus non minùs *subjectus* est: *ist auch in des Reichs Hülffe gehörig* / *activè & passivè*, neque *exemptionem à contributionibus omnimodam*, licet eam sibi ex *privilegiis vindicet*, Imperium ei largitur; quamvis quousque *Reges Bohemiæ in Imperatores evecti* sunt, ipsò actu *exemptione illa gavisii fuerint*. Illud certum est, quoniam *Comitiis Imp.* non intersunt, nec adèò cum *Cæsare & Statibus* reliquis in *sententias seu pacta*, quibus *leges superstruuntur*, conveniunt, quòd propterea etiam *Recessibus Imperii*, quantum ad hæc, quæ non totum contextum Imperii concernunt, sed ad *territoria cujusque particularia respiciunt*, ipsà *æquitatis ratione* sic exigente, non teneantur.

§. 6.

§. 6.

SINE ELECTORUM TAMEN CONSENSU.) Sed hoc contra fidem Historiarum asseritur: Nam licet Saxo & Brandenb. positivè non consenserint, sed ob Statum Imperii periculosum tum temporis consensum suum distulerint; tamen simpliciter & absolutè Cæsari hæc in re contradicere ausi non fuerunt, sed solùm rationibus Ipsum inducere tentarunt, ut ne ad collationem actualem Electoratus in Ducem Bavarix procederet. Quamvis autem Imperator nihilominus, rationibus illis non attentis, Maximilianum Bavarum in Electorem evexerit, tamen saltim *majoris partis* Electorum consensu illud contigisse manifestum est.

§. 17.

JUDICEM IMPERATORIS ESSE.) De hoc judicio in Imperatorem egregia sunt, quæ nonnullis tractatibus compilavit Lunderpius in *Actis publicis*: quorum aliquibus judicium illud attollitur, nonnullis exinanitur, & planè in dubium vocatur: idque ex ipso A. B. textu, quasi per illum *traditio* tantum quædam, non consuetudo stabilis, innuatur; maximè quòd à tempore A. B. in hunc usque diem nullum *prejudicium* vel exemplum judicii illius Palatini in Cæsarem extiterit. Planè quæ Officium Imp. concernunt, de his admoneri solet Cæsar ab Electoribus, nec tentari forma judicii aliqua. *vid. Mantiss. Actor. Comit. Elect. Ratisb. anno 1630. ap. Limn. in fine Comment. ad Capitul.*

CAPUT VI.

§. 9.

SUB PROTECTIONE.) Imò Episcopatus illi Superioritati territoriali ipso actu subjiciuntur, & tractantur non aliter à *Domo Austriaca*, quàm cæteri Status Provinciales. Interim
votò

votò suo in Comitibus Imperii gauder, & pro *Statibus* Imperii agnoscuntur; quapropter etiam Imperio *contribuunt*, non obstante, quò ad contributiones quoque *provinciales*, Archiducibus Austriacis præstandas, adigantur.

CAPUT VII.

§. 2.

A PRINCIPIBUS MERE TITULARIBUS.) Et tamen Principes ejusmodi non Statùs, rectè dicuntur *Reichs-Fürsten* / sicuti etiam Comites mediati nomine *der Reichs Grafen* / licet Status non sint, omninò gaudent.

eòd. §. 2.

Schlechte Fürsten.) Principes Provinciales, *Landes-Fürsten* / (qui differunt à *Landes-Fürsten* / Superioritate Terr. gaudentibus) *schlechte Fürsten* sunt, qui subsunt alii quàm Cæsari, adeoque subsunt Cæsari *mediate*, sicuti Principes *Silesia* subsunt Imperatori, per Regem Bohemiæ, & fruuntur quidem in terris suis Potestate quâdam Ditionibus illis dignâ, sed non tamen Superioritate territoriali, verùm eâ, quæ tantùm ei *similis* censerì potest, & *peculiari observantiâ* nititur.

§. 13.

NON TAM A COMITANDO) Imò Comitatus vel Comites à *comitando*, quòd in Comitatu Regis vel Imperatoris esse solerent, deducuntur: Est enim vox illa ex Romano Statu in Germaniam traducta, & applicata *denen Grafen* / i. e. iudicibus provinciarum.

§. 18.

AD ELECT. SAX. LINEAM.) Rectiùs ad illum unicè referatur Burggraviatus Magdeburgicus, *der ein wesentlicher Chur-Fürst*

Fürst zu Sachsen ist: Nam præter hunc nemo alius, ne quidem Lineæ Electoralis, illò axioma utitur.

§. 20.

Gefürstete Grafen.) Quod vix probari potest: Cùm utique ab antiquo etiam distincti fuerint *Principes & Comites Principares*, seu Principales; licet hi quoque viritim vora inter Principes edant: quâ potestate gavisi non sunt die alte Grafen. (Sensu scil. non vulgari, sed *curiali*, de quò *Besoldus* integro *consilio*.) Equidem causas habuere familiæ quædam, cur nomen *Comitum* retinere maluerint, inter Principes relati, & potius dici gefürstete Grafen/ quàm Fürsten simpliciter; utut nunc quidem nemo facilè Comitis Principaris titulum assumpturus esse videatur, ut non potius nomen *Principis*, simpliciter sic dicti, præligat.

CAPUT IIX.

§. 2. 4.

Conf. Eyben. diff. d. Tit. Nobilis, ubi quædam de discrimine Frey-Herrn/ Herrn/ Edlen und Edlen Herrn/it. Banner-Herrn.

§. 4.

GESSISSE AJUNT.) Et gerunt etiamnum Comites *Leiningerenses*. Cæterum vox *Semper* germanica est, & ingenuum, eximium, denotat, sicut reperimus *SempreMannen*/i. e. honoratos, egregios viros, ita ut *Semper frey* idem sit ac maxime *frey*.

§. 5.

COMITES DE SCHÖNBURG.) Imò titulum Comitum non gerunt Domini Schönburgenses.

K

COMI-

sup COMITES DE SAYNI) Dist. est inter Grafen von Sann/
und Grafen zu Sann. Comites Witgensteinenses ab an-
tiquo rectius dicuntur von Sann/ quia sunt quidem innexi Fa-
miliæ Saynensi, sed tamen Comitatum non possident, licet ipsum
sibi asserant. Comites verò zu Sann und Wittgenstein/
sunt possessores moderni Comitatus Saynensis, Duces Saxo Ise-
nacenses & Posterii Comitissæ Manderscheidensis. Comites zu
Sann/ pertinent ad circulum & Scamnum Westphalicum, Co-
mites autem de Sann/ alias zu Wittgenstein/ ad Circulum
Rhenanum & Scamnum Wetteravicum.

CAPUT IX.

§. 3.

SE VIX POTIRI ARBITRANTUR.) Certum enim est, si cum
Civitatibus institueretur, inter medias deliberationes Colle-
giorum superiorum, *Re- & Correlatio*, quòd tunc facilius ali-
quando pertracturæ essent in sententiam suam eorum unum,
vel alterum; cum quidem nunc, ubi postquam à superioribus
duobus Collegiis in unam sententiam, institutâ *Re- & Correla-*
tione, semotis Civitatibus, itum est, ne quidem rationibus
Civitatum contrariis, utut prægnantibus, facile locus detur, sed
tantum quòd dissentiant, dem *Reichs-Gutachten* expressè in-
feratur: qui effectus unicus est, quem hodiè sortitæ sunt Civi-
tates, post *Instr. Pac.*, in vim voti decisivi.

CAPUT X.

§. 1.

LAMPADIUS UT SINGULIS COMPET. ASSERENS.) Est *Lampadii*
hypothesis insolita & singularis, quam rectius ex ipso pe-
tes; examinabis verò ex his, quæ in *Diss. de Superioritate Terr.*

ex instituto ad doctrinam illam *Lampadii*, quæ omninò rejicienda fuerit, latius dicta sunt. Illud quoque in *eâd. Diff.* ostensum est, quòd *Jus Comitiorum* in Superioritate Territoriali non funderunt. Constat non minùs exinde, quidnam discriminis sit inter jus illud *Superioritatis Territorialis*, inter *Potentatum, Libertatem, Immedietatem & Privilegia Statuum* simpliciter sic dicta.

§. 3.

FEUDALI RECOGNITIONE.) Sed hæc recognitio non simpliciter Feudalis est, nec mediante Vasallagiò, sed juramentò *subjectionis* seu homagiò constituitur, ex quo Statibus Imperii in omnibus & per omnia ùt subditis imperari potest; salvâ tamen ubique eminentiâ ipsorum & juribus *Libertatis*: quæ quidem Majestati non officiant, sed cum illa æquè ac Superioritas consistere possunt.

§. 9.

TERTIUS MODUS.) Reverà non nisi duo modi sunt constituendi Superioritatem territorialem: Concessio *Cæsaris* expressa, & tacita, quæ per usum temporis immemorialis inducitur. Nam qui nunc sequuntur modi, illi Superioritatem jam *constitutam* præsupponunt, & solùm efficiunt, ut illa certo subjecto eam exercenti committatur.

§. 13.

SUBESSE CREDITUR.) Hoc axioma: *Quicquid est in territorio, est etiam de territorio*, procedit in terris seu Principatibus, ubi *Landsasfiatus* invaluit. Nam horum domini etiam illos, qui vel Statùs Imperii sunt, vel immediati, ùt *subditos* tractant, ratione *bonorum*, quæ in terris ipsorum habent, eosque adigunt, ut etiam in aliis, quàm quæ bona illa concernunt, coram *judiciis* ipsorum comparere teneantur: sententias quoque & judicata, quoad usque licet, ratione bonorum ejusmodi, *executioni* committunt.



CAPUT XI.

§. 1.

Serb und Lands-Huldig. Pflicht.) Differunt tamen Lands-
Huldigung und Erb-Huldigung. Nam genus poste-
rius etiam illis præstatur, quibus in alieno territorio jura quæ-
dam hereditaria, v. g. Jurisdictio civilis, contributio ordina-
ria, & similia acquisita sunt.

§. 2.

IN PERSONALE ET REALE.) Imò hæc distinctio non agno-
scitur in illis locis, ubi *Landsasstatus* viget. *conf.* tamen *Diss.*
d. Relig. Obsequii.

§. 4.

TUTORIBUS.) Equidem mutatio quoque seu successio Tu-
torum requirit novam *Homagii* præstationem: Hactenus enim
tutor habetur pro Domino territorii seu Regiminis. Sed in
Feudis non ita servatur, quoniam ibi *renovatio investiturarum*
pendet à mutatione Domini proprietatis (seu Domini directi,) *ut*
& utilis seu Vasalli.

§. 6. in fin.

Ratio hæc *tertia* nil habet momenti ad *Quest.* propo-
sitam: nam hæc respicit jussa Cæsaris & Domini contraria, utri-
nameorum parendum sit? Resolutio *Quest.* dependet à res-
pectu oppositi, videl ab ipso jussu sive imperio. In quibus enim
subdito immediatè imperare potest Cæsar, in illis haud dubiè
obsequi debet Cæsari subditus, non Domino. Similiter ubi
Dominus imperat subditis quicquam contra fidem, quam Im-
peratori & Imperio debet, aut contra Leges Imperii, usum
ve receptum: ibi magis Cæsarem quam Dominum suum
sequetur. *vid. cit. Diss. d. Relig. Obsequii.*

CAPUT

CAPVT XII.

§. 1.

NON TAM DATA QUAM RESTITUTA.) Cùm verò *Superioritas* Terr. non simul & semel advenerit Statibus, verùm *successivè* ex juribus suis accreverit; nuspiam v. in Historiis reperitur, quòd *Statibus, quòd tales* sunt, (nam de Episcopis seu Statibus, qui Episcopali jure præditi fuerunt, non disquiritur:) jura Sacrorum competierint. Ideò dicendum est, non tam restitutam esse Protestantibus Jurisdictionem Episcopalem in ipsorum territoriis: quin potius suspensam esse constat Jurisdictionem sacram in territoriis ipsorum, quam inibi, ex hypothese Pontificià, Episcopi eò usque usurpaverant, nec ipsi usurpare posse credebantur. Igitur novà conventionem acquisitum illis potius est *Jus Sacrorum*: cùm & nil absurdi sit, quòd quis *Superioritatem territorialem tantum secularem* habeat; alteri verò in sacris potestas separatim competat: maximè quòd jus Sacrorum multa habeat peculiaria, quæ extrà communionem imperii collocari possint, cum primis ut nunc Principes juribus Sacrorum utuntur, ut ad *interna* quoque procedant; veluti Consistoriales doctrinæ atque exercitium coërcitionis sacre ostendunt: adeò ut penes Principum Protest. Consistoria *Ecclesia* quasi *representativa* consistere censeatur. Quin & Superioritas territorialis Statuum Protestantium, quoad *secularia*, à Cæsare dependet magis quàm subjectionem, quàm ut potissimum conventionem submissio hæc niti debeat: Quod vero Jus Sacrorum attinet, illud tanquàm alteram partem Superioritatis illius, Statūs protestantes per conventionem magis, (ut ferè instar partis Cæsare habeat,) obtinuere, maximà libertate non modò à Pontifice; (nam sic etiam Ecclesias Germanicas libertate multà, priusquam Reformatio introduceretur, usas fuisse palam

palam est; verum etiam à *Cæsare*, cujus tanquam Principis *Catholici* hypotheses cum securitate conscientiarum, quâ utuntur Principes Protestantes, incompatibiles sunt. Penes *Nobiles immediatos* est Jus Sacrorum, licet Superioritatem Territorialem non habeant; sed tamen strictum illud est, neque istud ultra porrigere possunt, quàm id ipsum in verbis *conventionis* expressum est, aut verò postmodum *usu & observantiâ* non contradictâ illis, acquiritur. Sed *Status* Imperii Protestantes habent jus Sacrorum *omnimodum*, quaquâ versum porrigi potest; & hoc quidem etiam ex *Conventione*: quæ tamen quoniam cum Statibus Imperii inita fuit, qui gaudent Summa *Libertate & Superioritate* Territoriali, ex hinc amplissimam extensionem recipere potis est. Denique *Status Catholici*, quamvis Superioritatem territorialem æquè habeant, non tamen gaudent, ex necessitate *hypotheseos* Pontificiorum, tantâ libertate in Sacris, quâ Protestantes; verum *Jus Episcopale*, quod apud ipsos latissimum est, relinquunt Episcopis, vel ipsimet illud, si *Episcopi* fuerint, non quâ *Principes* exercent.

§. 3.

NECESSITATIS, SED VOLUNTATIS.) Hactenus est *necessitatis*, quòd Princeps Catholicus possit jubere, ut subditus Reformatus v. c. vel Lutheranus emigret, salvis bonis suis, aut vendendis, aut ut ea curatum quandoque accedat. Igitur coactio tantum *æousque* sublata est, quòd quis cogi non possit amplius manere & nomen dare Religioni Catholicæ, vel alii sibi adversæ, id quod tempore superiori multis locis fieri solebat; & hòc sensu dicitur emigrandi beneficium esse *voluntatis*.

§. 6.

JURIS EPISCOPALIS.) Quoniam jus Episcopale *totum* residet penes *Principem* inter Protestantes, hinc nomen illud ad ea quæ *interne* potestatis sunt, ut prædicatio verbi divini & administratio Sacramentorum, non pertinet: quin potius hæc ministerii

nisterii Ecclesiastici esse dicuntur. Quæ verò *Ecclesia* sunt totius, illa ad *Consistoria* quoque referuntur, neque Principis solius (ut ea quæ externæ potestatis sunt reliqua,) dici possunt, quippe qui in istis, (aliter atque in *Consistorialibus* cæteris,) solum Princeps seu primus & præcipuus inter membra *Ecclesiæ* ejus Ditionis est, adeoq; *Ecclesiam representativam*, in *Consistorio* hætenus collectam, dirigit.

§. 10.

Huc referenda sunt, quæ de *secularisatione* bonorum ap. *Hortlederum* & *recent.* reperiuntur.

CAPUT XIII.

§. 2.

UT ETIAM JURI COMMUNI CONTRARIENTUR.) Distingu. est inter jura communia *Justiniana*, quibus Statûs Imperii, quæ *positiva* sunt, in suis territoriis ex justâ ratione, derogare possunt; & inter jura communia, in *Comitio Imp.* noviter constituta: & adversus hæc in territoriis suis quicquam decernere, illave immutare nequeunt: quin & in his, quæ contra jus commune Justin. statuunt, consultum est, ut *Imperatoris confirmationem* requirant; quoniam suprema Judicia, si ad hæc causæ ex Ipsorum territoriis deferantur, secundum Jus commune Justinianum pronunciare debent, salvis tantum *Statutis*, quæ *ante juris illis receptionem*, intrâ Ditiones Imperii obtinuerunt, vel etiam *postmodum* validitatem ex usu temporis *longissimi* consecuta sunt.

CAPUT XIV.

§. 9.

IN universum notari debet, si quæ jura, quæ ad Superioritatem præcisè non pertinent, exerceat Princeps in suo territorio,

rio, (ut est v. c. *Legitimatio liberorum*,) quod tunc illa talia propriè sic dicta non sint, neque vim habeant eam, quâ pollent *Reservata Caesaris*, sed tantùm valeant in Principis illius territorio. Quocircà Legitimatio dici non potest quam Princeps suscipit, sed tantùm *Dispensatio*; nisi verò adquisierit Princeps longò usu & observantiâ vim quoque universalem & effectum Reservato Cæsareo similem: sicut in Ducatu *Würtembergico venia etatis*, sive à Principe, sive à Magistratibus illius, concessa, ex usu receptò, in universo Imperio, & respectu adeò subditorum *alieni territorii*, valet.

CAP. XV.

§. 7.

JUS CUDENDÆ MORETÆ.) *Quaedam* jura, ab Authore intermixta, initiò non fuère Superioritatis Territorialis: ut est §. 17. *Cap. preced. Judeorum Receptio*, quæ quidem postmodum etiam *Nobilibus immediatis* usu & observantiâ permissa est, cum antehac competeret solis *Electoibus* per *A. B.*, & aliis *specialiter* privilegiatis. *Quaedam* jura ne nunc quidem Superioritatis Terr. sunt, sed acquiri ea oportet itidem *usu vel privilegiò*: ut est *d. cap. §. 7. Asyli Constitutio*. *Aliqua* initiò concessa fuere tantùm *Electoibus*, & quibusd. aliis ex privilegio: & quamvis postmodum Privilegiò ejusmodi maçtati quoque fuerint *plures* alii; tamen in Jus Superioritatis Terr. concessio illa non invaluit; quale est *jus cudenda moneta*. Denique *nonnulla* simpliciter ex *Observantiâ* locorum dependent, nec adeò sub jurebus Superioritatis Terr. continentur: ut est *jus Detractionis*, §. 4. b. Sunt & jura, quæ non possunt *Statui* cuilibet competere, *ob defectum objecti*, ut est *jus aurifodinarum & argentifodinarum*: & tamen nihilominus, hòc non attentò, *Superioritas* inte-

integritate suâ constare putanda est, non aliter atque Regnum aliquod integram *Majestatem* habet, licet aurifodinæ in illo nullæ reperiantur: cum talis sit potestas summa, qualis in objecto terrarum exerceri potest.

CAPUT XVI.

ad Rubr.

PACIS,) Nec tamen est confundendum jus *Pacis pangende* cum juribus *Pacis*, h. e. illis quæ tempore pacificò exercentur. Deinde jura *Pacis pangende*, *Belli*, *Fœdorum*, *Legatorum* non pertinent propriè ad *Superioritatem territorialem*, quò tantùm *jus Armorum* strictè sic dictum, ad subditos in officio continendos, & defendendos fines suos, referendum est; sed conficiunt distinctum jus Potentatûs.

CAPUT XVII.

§. 1.

RATIONE PRINCIPALIS DIGNITATIS.) Ad Dignitatem jura hæc, quæ jura *Libertatis* dicimus, simpliciter referri non possunt. Non etiam competunt Statibus respectu *Territorii*, quamvis aliqua ipsorum sinè territorio exerceri non possint; qualia sunt nonnulla jura *Sacrorum*. Competunt verò *Libertatis* jura non nisi *Statibus*, etiam his qui *actu primò* ad Statûs Imperii referuntur, quales sunt *Appanagiati*: nec tantùm illis qui *Dignitate personali* gaudent, verùm etiam *Civitatibus Imperialibus*; quanquam diversimodè, & in quantum capaces sunt jurium illorum, quæ sub *Libertate* comprehenduntur. Quòd si etiam *Nobiles immediati* ob prærogativam, quâ præ civibus mediatis fruun-

L

frun-

fruuntur, aliqua *similia* habeant; tamen ea non dicimus esse *Libertatis*, sed tantum *privilegii* aut *prærogativæ singularis*. Debent porro distingui illa quæ *Libertatis communis* sunt, & quemlibet *civem Germaniæ* concernunt, ab his, quæ ad *Libertatem hanc Statuum Imperii* pertinent: quale est v.g. quòd Germani possint *militare exteris*, quòd non possint *in jus vocari extrà Germaniæ limites*, & simil.

eòd. §. 1.

PERSONALIA DICTA.) Non rectè dicuntur *personalia*. Nam & *Civitates Imperii* juribus *Libertatis*, quæ in *Ipsas* cadere possunt, non minùs gaudent: & quibusdam juribus uti non licet, nisi illis qui *Territoria* habent, quamvis ex territorio non enascantur; indeque rectè dicatur, quòd *citrà territorii respectum* Statibus competant.

§. 4.

JUDICIUM AUSTREGARUM.) Non videtur pertinere ad *Libertatem Statuum*, quòd *Cæsarem* habeant *Judicem*: quem enim haberent alium, quippe immediati? (nisi quando *Forum delicti* posset ex loco delicti, velut alieno territorio, constitui, eòque casu quiescat *Domini ejus Territorii Jurisdictio*, quoniam super corpore *Principis* non potest unquam judicare alius, nisi solus *Cæsar*.) Non etiam eò *Austregæ* referri debent. Nam illæ simpliciter respiciunt *immedietatem*, nec tamen semper, ut nec omnium, verum tantum eorum, qui *immedietatem personalem* habent. Unde *Civitates Imperiales* non gaudent *Austregis*; gaudent immediati *Nobiles*: quapropter *Austregarum* quoque beneficium ad *Libertatem Statuum* referri non potest, sed tantum *Privilegium immedietatis personalis* conficit.

§. 12.

§. 12.

POSTERIUS PROBABILIS.) Rectius dicitur, quoniam Jurisdictio Austregarum est *anomala*, quæ nonnulla participat ex ordinariâ, nonnulla ex delegata Jurisdictione, quòd hinc Jurisdictio Illarum singularis sit, *nec ordinaria, nec delegata*, sed mediò modò se habeat.

§. 13.

CAUSÆ CIVILES.) Utique *Austregarum* Jurisdictio valde *angusta* est, quoniam non obtinet in causis illis, quæ *ad Camera Imper.* in secundâ instantia devolvi non possunt: Igitur de illis regulariter *Aula Cæsaris* in prima Instantia, sepositis Austregis, cognoscit. Non enim locum habent Austregæ, quando Camera *ratione causarum* fundata est, illarum scilicet, super quibus Camera *per Ordin. Cam.* Jurisdictio concedita fuit: ut sunt causa *fractæ pacis*, causa *pacis religiose & profane*, causa *litigiosæ possessionis, diffamationis, &c.* Denique non habent locum, quando à *Mandatis* incipere potest Camera.

§. 16.

VID. V. BLUMII.) *Blunius* locò *Execution* legit *Exception*: perperam. Nec quidquam in Textu immutandum est, quin potius Austregis initiò fuit concedita *Executio per Ordinationem Camera*. Ast Lex illa per *non-usum* abrogata est, vel potius nunquam in usum deducta fuit, sed dimissa *executio Circulis*: unde super illa implorari Camera Imperialis solet, ut illam Ducibus Circuli demandet.

§. 20. inf.

Exhinc, quòd Cæsar officiò suò requirente teneatur in causis majoribus, unius alteriusve Electoris aut Principis con-

siliò uti, non potest inferri *mixtura Formæ Reipublicæ*. Etenim si Imperii Status mixtus foret, non modò *quorundam Statuum consilium pro lubitu* Cæsar adhibere, verùm omnium Statuum vota, & quidem in vim sententiæ decretoriæ, Decisiva, imò Majestatica, adhibere obstrictus foret.

§. 23.

UT OLIM QUASI POSSIDEANT.) Quòd verò nunquam Jus Sacrorum Protestantes in territoriis ante *Pacem Relig.* habuerint, Historiæ testantur: ut superiùs *ad cap. XII.* notatum est.

§. 38. in fine.

Adhibe *in Addit. Dedekenni Consil. Theol.* ubi de iudicio inter Principes *Protestantes*, quoad causas *matrimoniales*, securè formando.

§. 39. in f.

In hoc tamen *Judicio feudali* non est *Libertas Statuum peculiaris*, sed habet illud rationem fori ordinarii.

§. 40.

Quæ Auctor hic tradit de immunitate Principum & exemptione illorum à *solemnibus testandi*, communiter reprobant: & non solùm tutius, sed & verius est, eosd. ad solemnia *in modum privatorum* adstringi; sicut *præjudicia* plura loquuntur. Similiter falsum est, quòd possint *pacisci* super *hereditate futurâ*: nam & in hoc aliò sive diversò jure à privatis non utuntur. *Donationem* licet Princeps, qui majori generositate uti solet, non revocet, non tamen hoc efficit, quòd eandem, quòd privatis licet, casu non revocare possit; maritus v. c. vel pater

pater, si velit. Quòd vero *fides Principis*, etiam verbis simplicibus data, juramento æquipolleat, non procedit in his, quæ juramentum corporale requirunt: & prætereà non est peculiaris, sed commune Principibus cum quibuslibet aliis, in dignitate vel conditione honoratâ positis. Quod in n. 7. habet, nequaquam Libertatem Principum sapit, sed est *jus Fisci*: quod ad eò omnibus, qui eòdem instructi sunt, competit, nec quicquam Dignitatis aut qualitatis personalis redolet. Denique quid de *Domaniis* censendum sit, ut & de *Præscriptione subditorum* adversus Principem suum, alibi exponemus.

CAPUT XIIX.

§. 5.

Und andare.) *To andare* refertur solum ad subjecta habilia, vid. Besold. *Thef. Pract. h. voce*. Potest etiam referri ad Nobiles, vox *Unterthanen* / quæ voci *der Stände* juncta est. In Rescripto Rudolphi II. vox *Stände* abusive accipitur pro *subditis* inter *principuos*: Nam ubi constat, quòd re ipsâ nunquam in Comitibus Statum sustinuerint Nobiles, (quod certissimum est:) minimùm ab eo tempore, quò Comitibus accuratiùs constituta fuere, scil. à medio *Sec. XV.* ex adpellationibus promiscuis & generalibus rem ipsam inferre velle, frustraneum est.

§. 9.

TORTURIS.) Decernitur autem Nobilibus quoque tortura, adjectò tamen: *Auf vorhergehende Bewilligung der Fürstl. Hohen Landes-Obrigkeit*. Sic & ad *palinodiam* condemnantur, sed adjicitur recantationi: *Unbeschadet seiner Ehren*.

L 3

§. 10.

§. 10. *Quod verum est de Nobilibus singulis: nam nec Comites mittunt Legatos ad Aulam Cæsaream, sed tantum Deputatos, Commissarios; Corpus tamen Nobilium sic & Comitum, Legatos omninò mittere solent; quam Legati ipsorum, ut & Principum, non fruuntur prærogativis Legatorum ex Jure Gentium; sed ex conventionem seu Capitulatione Cæsareâ. Quin & pro discrimine Dignitatum eorum, à quibus mittuntur, in Aulâ Cæs. diversimodè tractari solent.*

§. 12.

LEGATOS MITTERE NEGANT.) *Quod verum est de Nobilibus singulis: nam nec Comites mittunt Legatos ad Aulam Cæsaream, sed tantum Deputatos, Commissarios; Corpus tamen Nobilium sic & Comitum, Legatos omninò mittere solent; quam Legati ipsorum, ut & Principum, non fruuntur prærogativis Legatorum ex Jure Gentium; sed ex conventionem seu Capitulatione Cæsareâ. Quin & pro discrimine Dignitatum eorum, à quibus mittuntur, in Aulâ Cæs. diversimodè tractari solent.*


CAPUT XIX.


ad Rubr.

Accipit *b. l.* Auctor Imperium plenè pro totâ Republicâ; cum quidem in distinctione vulgari *des Reichs/ in Haupt und Glieder / membrorum* nomine intelligantur ne quidem immediati, sed *Statûs*: eoque sensu veniat corpus integrans, *h. e.*

Caput seu is qui Imperium tenet cum Statibus, imperanti in Corpore assistentibus; qui tamen non minùs parentes sunt.







154908


AB 154908


ULB Halle 3
007 392 923



V077







B.I.G.

Farbkarte #13



LECTA
s Academicis
 STOPHORI
 KERI,
 D
 S SCHWEDERI
 tionem in
 BUBLICUM
 M. GERM.
 mum:



N Æ,
 CKII. clb lbc LXXXIX.

4

